QUAESTIONUM SOLINIANARUM
CAPITA TRIA

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS RABENALD

SEEHUSANUS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCIX

DE HAC DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT

GEORGIUS WISSOWA

Examen rigorosum habitum est die 28. mens. Jan. a. 1909.

PAULO ZUCK

AMICO CARISSIMO

SACRUM

Commentationis argumentum.

Praefatio.

C. Iulius Solinus, quem saeculo p. Chr. n. tertio floruisse Theodorus Mommsen satis probabiliter demonstravit[1]), sub indice collectaneorum rerum memorabilium[2]) scripsit libellum, cuius non pauca ex Plinii naturali historia profecta esse *norunt philologi vel ii qui Solinum numquam evolverunt.*[3]) Hoc autem opus cum ob sermonis infantiam tum ob rerum exilitatem a feliciore litterarum Latinarum aevo abhorrentem vilissimi pretii atque vix dignum est quod posteris tradatur, praesertim cum magnus sit numerus errorum ridiculorum, in quos epitomator incidit, et sane perparvum intersit scire, uti Mommseni verbis utar[4]), quibus artibus saeculi tertii scholasticus Plinium quasi scriptorem iusto simpliciorem loqui docuerit tumide et perplexe et insipide. Attamen Theodori Mommsen praeclarum acumen codicibus compilatoris insciti adcuratissime excutiendis maximaque cum diligentia iis quas statuit depromptas esse ex Plinio et Pomponio Mela partibus distinguendis atque qui auctores Solini vestigia presserint indagando permultum operae navavit huiusque scripti schedas in singularem editionem redegit, quam quod prima contextum ad artis leges recensitum praebet

---

[1]) in ed. Solini collect. rer. memorab.[2] p. VI et VII, ubi de Solini aetate fuse exponit; cf. praeterea Gundermann in Mus. Rhen. vol. XLVI p. 489 sqq.; falso iudicare videtur E. Klebs in Philologi vol. XLIX p. 299.

[2]) cf. Mommsenus l. c. p. XCVII.

[3]) Mommsenus l. c. p. VIII.

[4]) ibid.

omnes litterati iudices unanimi consensu iustis laudibus extulerunt.[1]) Neque vero ille vir summus bene gnarus grana saepenumero inter paleas reperiri atque inter reiectanea utilia latere scriptore mediocri diu neglecto ad libros scriptos egregie exacto atque testimoniis auctorum a Solino Solinive auctore proximo usurpatorum et Solinianorum compilatorum conlectis operam perdidit, cum hac recensione instituta librorum Plinianorum emendationi firmissimum fundamentum faceret. Atque non modo propter utilitatem ad leges recensionis Plinianae stabiliendas codicumque proprietatem recte aestimandam, sed etiam ideo non plane contemnendus est libellus Solinianus, quod scripta compilatorum huius generis, quippe qui id potissimum spectaverint, ut veterum doctrinae divitias diligenter congererent, persaepe continent bona frustula eruditionis temporum quae fuerunt florescentium; qua de causa magno usui erit fontes investigare e quibus ipso semper melioribus Solinus sua deprompserit inprimis ad argumenta eorum optimi aevi quos superstites non habemus librorum cognoscenda. Eo autem magis operae pretium est continua dissertatione in hanc materiam inquirere, quod quamquam et a Mommseno et ab aliis de auctoribus a Solino adhibitis copiosissime disputatum est, tamen quaestio de polyhistoris fontibus admodum perplexa nequaquam omnibus partibus absoluta est, cum alii aliter hac de re iudicaverint atque sententias prorsus diversas protulerint. Neque enim praeter eos, qui de fontibus Solinianis continenti disputatione examen institu-

---

[1]) cf. F. Luedecke, Götting. gelehrte Anzeigen 1865 vol. II p. 1089 sqq. Duchesne, Bullet. critiq. 1892 p. 471. C. Weyman, Berliner phil. Wochenschr. 1896 p. 909 sqq. Detlefsen in Hermae vol. XXXII p. 322. Landgraf, Zur Sprache und Kritik des Solinus in „Blätter für d. bayrisch. Gymnas.“ 1896 p. 403. Kübler, Wochenschr. f. klass. Phil. 1896 p. 399. Kirner, Archiv für lateinische Lexikographie X p. 146 sq.; Rass. di antich. class. I p. 75 sq. Ramorino, Riv. di filol. vol. XXIV p. 428 sq.

erunt, defuerunt, qui aliis quaestionibus vacantes Solinum quasi in transcursu tangerent, quorum omnium opiniones quoad eius fieri potest suis locis afferemus recensebimusque.

Sed haec noli ita accipere, quasi in animo mihi sit quaestionem ab omni parte absolvere — neque enim, etiamsi hoc officium mihi sumerem, ad exsequendum valerem; immo vero id potissimum si quid potero demonstrabo, sententiam de chorographia quadam Pliniana fonte Solini Mommsenianam, quae per longum tempus viguit quasi fundamentum certissimum, prorsus esse deserendam. Qua in re expedienda fieri non potest, quin de Ammiano Marcellino, a quo eandem chorographiam q. d. Plinianam exscriptam esse Mommsenus sibi persuasit, quaestionem instituamus enucleemusque quali vinculo cohaereant Solinus Ammianus Plinius. Deinde refellam opinionem a nonnullis viris doctis prolatam chorographiam quandam ante Plinium conditam et a polyhistore et a Plinio aliisque scriptoribus compilatam esse. Tum quantum e re esse videbitur explanabo quamnam in universum Solinus in citandis exscribendisque auctoribus sequatur rationem et consuetudinem. Quoniam hac disquisitione absoluta quaerendi viam mihi quodammodo praemunivi, nonnullos locos collectaneorum Solinianorum ad fontes revocare conabor non tantundem huic quam prioribus partibus dissertationis meae ponderis tribuens.

Caput I.

§ 1.

Antequam rem ipsam adgrediamur necesse est adcurate exponam quidnam de auctoribus a Solino compilatis iudicaverit Mommsenus. Ille autem vir egregius quae in collectaneis rerum memorabilium ad Plinium Melamque revocanda esse putavit, adcuratissime adnotavit et de reliquis partibus quae ad nullum scriptorem adhuc superstitem recedunt quibusque adscripsit aut ignoti notam aut Pliniani loci aucti haec fere verba fecit[1]): *nec tamen hoc praesto omnia illa, quibus notae supra dictae appositae inveniuntur, vere proficisci ab auctore deperdito. immo multa eorum aut ita vulgaria sunt, ut dubites utrum scholasticus ea memoriter protulerit an ex libro aliquo vulgari deprompserit, aut possunt derivata esse ex ipsis Plinianis modo temere auctis ex ingenio modo memoriae lapsu detortis et confusis.* Quam rem paucis exemplis inlustravit. *Sed,* pergit, *ut demas quaecumque ita in hunc librum illata esse possunt futilia et vulgaria, restant non pauca omnino petita ex auctore auctoribusve hodie deperditis nequaquam spernenda.*

Et Mommsenus in investigandis fontibus Solinianis eos collectaneorum locos conlegit, quos disquisitionis indolisque similitudine et argumenti adfinitate existimavit adeo inter se cohaerere, ut quin ex uno eodemque scriptore delibati sint omnino nequeat dubitari. Atque primum quidem ea qua pollebat eruditione et diligentia pertractat chronicorum deperditorum fragmenta apud Solinum servata. Inter absurdas enim fabulas stultaque placita,

---

[1]) l. c. p. X.

qualia a polyhistore persaepe proferuntur, longe lateque per totum fere opus dispersae sunt nec paucae nec sane vulgares chronicorum optimae aetatis laciniae, quarum indicem p. XI Mommsenus proponit. Hi autem quos intellego loci sunt ita comparati, ut adnotationem temporis ad chronographorum consuetudinem accommodatam habeant atque ita quidem, ut anni numerentur aut ab urbe condita vel a Troia capta aut olympiadum numeri adiecti sint; praeterea non raro addidit compilator, quo rege quibusve consulibus res quam narrat sit gesta. Ex eodem scriptore cui debeantur hi loci epocham habentes Mommsenus sibi persuasit hausta esse alia, quae etsi ibi tempus non notaretur, tamen indicia originis ex opere chronographico deducendae certissima prae se ferrent. Quae ut omnia ante oculos habeamus hic componere mihi liceat:

p. 6, 4—7, 4	de regibus Romanis
p. 64, 19—66, 11; p. 62, 12	de regibus Macedonum
p. 3, 1—6, 8; p. 7, 5—8, 15	de origine urbis Romae
p. 31, 22—35, 14; p. 39, 1—8	de originibus plurimorum oppidorum Italiae
p. 108, 5. 6; p. 116, 16—117, 17 p. 125, 10—13; p. 127, 8. 9	de originibus urbium Africae
p. 14, 10—14; p. 46, 5—13	de originibus urbium Sardiniae
p. 35, 14—36, 8; p. 49, 4	de Sibyllis et de populorum in imperio maris successione
p. 45, 6	de Corsica
p. 49, 3—9	de Sicilia
p. 43, 15—20	de Dardanis et Massilia
p. 68, 15—17	de Abdera
p. 167, 9. 10	de Apamea Phrygiae
p. 161, 13. 14; p. 163, 5—8	de Tarso et Pompeiopoli Ciliciae.

Quae omnia manasse ex iisdem chronicis, unde fluxerint loci adnotationem temporis habentes, non solum ex tota indole apparere putat Mommsenus, sed etiam inde con-

firmari quod tam de Sibyllis locus quam de Macedoniae regibus, denique urbium complurium origines olympiadem adiectam habeant. Nec aliter iudicandum esse de origine eorum quae Solinus tradat de viris litteris claris apud Graecos:

p. 29, 8—11 de Pindaro lyrico
p. 50, 9 ubi narratur in Sicilia inventam esse comoediam atque cavillationem mimicam in scaena stetisse
p. 50, 10. 11 de Archimede
p. 50, 11. 12 de Laide
p. 74, 12 quo loco legimus in insula Chio tumulum esse Homeri
p. 167, 1 sqq. ubi ingenia Asiatica inclita enumerantur:
a) poetae: Anacreon, Mimnermus, Antimachus, Hipponax, Alcaeus, Sappho.
b) historiae conditores: Xanthus, Hecataeus, Herodotus, Ephorus, Theopompus.
c) ex numero septem virorum sapientia praeditorum: Bias, Thales, Pittacus.
d) philosophi: Cleanthes, Anaxagoras, Heraclitus.

Denique ad eundem fontem deducenda esse censet Mommsenus etiam ea quae proponuntur:

p. 124, 13 sqq. ubi exponitur Cn. Servilio C. Sempronio consulibus inter Syrtes classem Romanam impune perfretasse;

p. 48, 1. 2 ubi nobiscum communicat scholasticus primos praetores Sardiniae Siciliaeque fuisse M. Valerium et C. Flaminium atque utramque insulam in Romanum arbitrium redactam iisdem temporibus factam esse provinciam;

p. 22,5—24,1 quo loco Solinus, ut demonstret corruptam esse degeneri successione subolem sui aevi atque formas hominum temporum quae fuerint multo fuisse grandiores, affirmat scripta antiqua inducens

bello Cretico humanum corpus repertum esse cubitum trium atque triginta. Quod Metellum ipsum eiusque legatum Flaccum spectasse;

p. 8, 16—9, 8 ubi tempora dinumerantur ad annum urbis conditae ratione Catoniana;

p. 9, 9—11, 22 ubi de anno Romano agitur.

Iam deinceps cum quaeramus, quisnam sit auctor ex quo quae enumeravimus arripuerit Solinus, Mommsenus suspicatur fontem polyhistoris fuisse Cornelium Bocchum ter citatum p. 25, 9; p. 34, 11; p. 36, 2. Quod quo iure a viro summo dictum sit, infra videbimus; sed iam si placet ad sententias nos conferamus de reliquarum collectaneorum partium auctoribus a Mommseno prolatas. Praeter chronographiam Bocchianam deperditam a Solino adhibitum esse alium librum, nimirum chorographiam aliquam, in qua orbis terrarum quaeque in eo mira visantur percenseantur. Quam ad chorographiam iniquitate temporum nobis non servatam revocat Mommsenus non modo quae Solinus exhibet de finibus situque singularum terrarum, sed etiam ea quae de regionum quae describuntur incolis et animalibus narrantur nec non ea quae de fabulis et de naturae miraculis leguntur. Quod opus chorographicum fuisse fontem eorum quae afferantur:

p. 48, 7—21; p. 50, 13—53, 10; p. 54, 6. 7	de Sicilia
p. 72, 2—5; p. 72, 10—73, 12. 17. 18	de Creta
p. 99—103	de Britannia
p. 63, 14—19	ubi in Orestide enarratur fuga Orestis;
p. 104, 3	ubi docetur oppidum Olisiponem ab Ulixe conditum esse;
p. 114, 1—4	de Icosio oppido Mauretaniae ab Herculis comitibus viginti constituto;
p. 59, 6—9	de Thebarum Amphione conditore

p. 152, 7. 8; p. 157, 5—9 . de mundi natura
p. 141, 12. 13; p. 146, 11—18 de mundi natali
p. 151, 1—3 . de anno magno.

Quibus a partibus, quas censet Mommsenus redire ad opera chronographicum et chorographicum, seiungit alia minora originis incertae, quae ita comparata sint, ut cum narratio ipsa aperte a Plinio Melaque pendeat, tamen apud Solinum quaedam inveniantur, quae non legantur apud illos neque addi potuerint nisi ab homine sane erudito cuique ad partem earum copiarum, quibus ipsi usi sint Plinius et Mela, pariter aditus patuerit. In talibus autem additamentis minoribus, quae ex suo ipsius ingenio petere non potuerit Solinus quaeque e scriptis illis deperditis esse delibata veri sit dissimile, numeranda esse primum auctorum nomina, quae epitomator rerum nonnullarum, quae quin ipsae tractae sint e Plinio Melave dubium esse nequeat, testes afferat. Sic Solinus p. 186, 15 sqq. Indorum alios lineis alios laneis peplis vestiri, nonnullos nudos esse vel obscaena tantum amiculatos, plurimos etiam flexibilibus libris esse circumdatos referens Iubae et Archelai regum auctoritate se tuetur; eandem autem rem scriptorum quos laudat Solinus mentione excepta expositam videmus apud Melam III 63. Porro polyhistor in libri I § 54 (= p. 13, 4 sqq.) a Mommseno probabiliter ad Plin. VII 63 revocata affirmans mulierem solum animal esse menstruale Democritum physicum testem advocat, cuius mentionem Plinius non facit; cf. praeterea p. 45, 15. Atque eadem ratio quae inter hos locos Solini Plinii Melae deprehenditur, intercedit inter Sol. VIII 1 et Plin. IV 28, quibus locis duo scriptores paene ad verbum inter se congruunt, praeterquam quod quae apud Solinum leguntur Homerum nominare Haemoniam Argos Pelasgicon Plinius non exhibet. Praeterea hos locos conferas quaeso unde idem adsequaris: Sol. p. 46, 4 cum Plin. III 85; Sol. p. 62, 4 cum Plin. IV 30; Sol. p. 119, 10 cum Plin. VIII 48; Sol. p. 42, 1 cum Plin. XXXVII 164; Sol. p. 87, 2 cum Plin. XXXVII 62; Sol. p. 41, 16 cum Plin.

XXXII 23; Sol. p. 159, 6—10 cum Plin. X 12[1]). Sed vir summus ipse fatetur haec aut omnia aut pleraque admodum suspecta esse et conturbata. Porro apud Solinum locis quibusdam praenomina inveniri quae Plinius omisit facile intelleges, si inter se comparaveris haec: Sol. p. 30, 9 et Plin. VII 120 (Solinus nominat M. Fulvium Flaccum, Plinius Fulvium Flaccum); Sol. p. 20, 8. 9 et Plin. VII 53 (Solinus nominat Cn. Pompeium et C. Vibium, Plinius Magnum Pompeium, Vibium); Sol. p. 20, 15 et Plin. VII 55 (Solinus nominat M. Messallam, Plinius Messallam); Solin. p. 115, 13 et Plin. VIII 131 (Solinus nominat L. Domitium Ahenobarbum, Plinius Domitium Ahenobarbum). Haec quoque non esse additamenta a Solino ipso excogitata, quorum de origine nihil certo sciri possit; quod idem valere adseverat Mommsenus in p. 27, 22 sqq., quo loco Metrodorum philosophum in tantum se meditatione assidua provexisse, ut a multis simul dicta verborum ordinibus detineret, Solinus refert a Plin. VII 89 nulla alia re discedens nisi quod Metrodorum temporibus Diogenis cynici fuisse addit. Denique Mommsenus agit de aliquot locis Solinianis Plinianisque, quibus inter utriusque scriptoris enarrationes exstant discrimina eius condicionis, ut exemplar Solini rebus non paucis sit amplificatum; contendas quaeso Sol. p. 74, 19 cum Plin. IV 66; Sol. p. 125, 8 cum Plin. V 28; Solin. p. 56, 8—17 cum Plin. IV 16 et inspicias Mommsenum p. XVI. Quas res omnes, quae desunt apud Plinium, Solinum non de suis addidisse, sed aliunde petivisse Mommseno constat.

Sed priusquam quid de horum additamentorum fonte senserit vir doctissimus contemplemur, facere non possumus, quin animadvertamus disputationem eius non semper satis esse perspicuam neque sibi constare Mommsenum. Verba enim Solini p. 34, 14: *Liciniano placet a Messapo Graeco Messapiae datam originem, versam postmodum in*

[1]) Debebat Mommsenus hanc paragraphum Plinianam illi loco Soliniano adscribere, non XXXVI 149. 150.

nomen Calabriae, quam in exordio Oenotri frater Peucetius Peucetiam nominaverat quatenus non leguntur apud Plinium III 99, deducit Mommsenus p. XII ad opus chronographicum, ut procul dubio elucet ex verbis: *eius generis sunt . . . maxime . . quae tradit . . . de originibus . . . plurimorum oppidorum Italiae p. 31, 22—35, 14; 39, 1—8, quorum non nisi minimam partem Plinius suppeditavit.* Sed p. XV de chorographia deperdita a Solino adhibita agens huic operi illum locum vindicat, id quod monstrant verba: *auctores in fragmentis his chorographicis consentaneum est citari longe rarius quam in chronographicis; citantur autem duo soli Varro et Granius Licinianus . . .;* vide praeterea p. XXIII. Atque quod Licinianum, de quo infra uberius agetur, p. XV et p. XXIII inter auctores recenset, qui in Solinianis illius operis chorographici reliquiis laudantur, eo magis nos miros habet, quod omnes reliquos scriptores, quos Solinus in enarrandis plurimorum oppidorum Italiae originibus (p. 31, 22—35, 14; 39, 1—8) testes affert: M. Catonem p. 31, 9; p. 33, 3; Zenodotum p. 33, 12; Sextium p. 33, 4; Heminam p. 34, 7; p. 35, 7; Bocchum p. 34, 11; M. Antonium p. 34, 12; Cosconium p. 35, 4; C. Coelium p. 39, 3 (Praenestinos libros p. 33, 13) in numero ducit auctorum in fragmentis chronographiae deperditae nominatorum.

Sed mittamus haec redeamusque, unde digressi sumus. Mommsenus igitur postquam quorum auctorum et nobis servatorum et deperditorum vestigia pressisset Solinus disseruit, disquisitionem ad hunc finem perduxit, ut polyhistora ipsum neminem ex his scriptoribus inspexisse et exscripsisse doceret, sed totam materiam et congestam et dispositam iam in fonte suo invenisse. Hunc autem fontem fuisse Plinii naturalem historiam ad chorographiae formam redactam et auctam, opus simillimum collectaneis Solinianis ipsis. Ac ne neglegentiae nos insimules, verba Mommseniana ipsa[1]) mihi liceat hic adscribere: *ex hac*

[1]) l. c. p. XVII.

epitome chorographica Pliniana aliunde aucta proficisci videntur non tantum additamenta de quibus proxime egimus minora, sed etiam sumpta ex Mela quaeque superius ex operibus chronographico et chorographico deperditis repetivimus; et: *Extitit igitur post Plinium, qui eius naturae historiam ad chorographiae formam redigeret et ita redactam excerptis aliorum auctorum chorographorum et chronographorum ampliaret homo non indiligens, quamquam non eadem diligentia per universum operis decursum usus et multae lectionis. At non ipse Solinus laborem eum perfecit, immo chorographiam illam satis habuit in epitomen redigere.*

Ad hanc Mommseni de chorographia illa Pliniana fonte Solini sententiam accedere nequeo. Et sane miror tot viris doctis [1]) hanc opinionem probari, etsi argumentationis Mommsenianae auctoritas admodum infirma est, quin etiam argumentum in propatulo est, licet adhuc non satis intellectum, quod nos quidem permovet, ut praefracte negemus tale opus quale sibi finxit vir summus in usum vocasse Solinum. Etenim quae in epistula dedicatoria scripsit polyhistor ad Adventum [2]) fautorem amicumve

[1]) Is qui editionis Solini a Mommseno factae primam censuram edidit summisque laudibus ut par erat eam extulit, Fridericum Luedecke dico, affirmavit (Götting. gelehrte Anzeig. 1865 p. 1094 sqq.) se valde sibi persuasisse chorographiam illam Plinianam a Solino esse exscriptam; omnibus in rebus se consensisse cum Mommseno et id tantummodo dubitasse, utrum chorographia Pliniana continuisset Bocchi opus chronographicum an Bocchus a Solino ipso exscriptus esset. Quorum hoc ut praeferret, se commotum esse nonnullis verbis ipsius Solini. De his autem verbis protinus dicemus. Neque vero longius hanc rem persecutus est vir doctus neque quemquam quantum scio habuit adsentientem.

[2]) Quem non fictam personam fuisse quin credamus facere non possumus animadvertentes quam saepe orationem directam usurpans scholasticus illum adloquatur. Nobis autem quaerentibus quis fuerit quandoque vixerit ille Adventus, quamquam Solinus ipse nihil respondet, tamen ut adsequamur aliunde subsidium adfluit. Invenitur enim in codice Monacensi 14429 saeculi

suum coniecturae Mommsenianae ita refragantur, ut eam non possimus probare nisi causis prorsus invictis moniti. Sed liceat mihi afferre ea quae iure meritoque dubitans rectone talo stet suspicio Mommseniana explicat Martinus Schanz his fere verbis[1]): *Mommsen ist der Meinung, dass bereits vor Solin von einem Unbekannten eine Geographie aus Plinius angefertigt und mit Zusätzen versehen wurde, und dass Solin diese Geographie nur in einen Auszug brachte. Allein diese Hypothese steht mit den Worten der Vorrede in Widerspruch; denn dort heisst es ausdrücklich, dass er seine Arbeit auf einige Volumina gegründet habe. Wie konnte aber Solin vor das Publikum und seinen Gönner*

decimi haec glossa: *Julius . solinus . sub octiviano fuit.* Pro nomine aperte corrupto *octiviano* Hermannus Usener (in mus. Rhen. vol. XXII p. 466) lenissima emendatione adhibita rectissime scripsit *Oclatinio*, cui cognomen fuisse Adventum quemque post gregalem militiam et equestres dignitates factum esse consulem ordinarium a. 218 scimus (videas O. Hirschfeld. Untersuchungen auf d. Gebiete der röm. Verwaltungsgesch. 1. Bd.: Die kaiserlich. Verwaltungsbeamten bis auf Diokletian. Berolini 1877 p. 232. Prosopogr. Imperii Romani II p. 424. Mommsenum l. c. p. VI). Hunc autem intellegendum esse Adventum Solini fautorem amicumve Dodwellus (in Geogr. vet. script. Graec. minor. Oxon. MDCCIII p. 71) Usenero adsentiente optime suspicatus est haec disserens: *nulla quidem*, inquit, *dignitatis nota in ipsa dedicationis inscriptione. Vix tamen est cur dubitemus quin virum gestis in re publica honoribus patronum studiis suis delegerit Solinus. Innuit hoc ni fallor aurium illa clementia, quam in Advento suo gratulatur. Est enim clementia virorum praecipue principum.* Haec sunt Dodwelli verba neque est quod ei non applaudamus (eandem opinionem sequuntur Schanzius in hist. litt. Rom. III² p. 237. Teuffelius in hist. litt. Rom. p. 980. Rhoden apud Wissowam in encycl. reali I p. 430). Contra quem quod in argumento posuit Mommsenus l. c. p. VI, obstare ei similive coniecturae, quod epistula dedicatoria non solum dignitatis publicae nullum indicium faciat, sed ne viri clarissimi quidem titulum nomini addat, mihi neutiquam persuasit expendenti omnia opinioni Dodwellianae favere. Quae cum ita sint, quin ad Oclatinium Adventum consulem a. 218 dedicatio opusculi Soliniani sit referenda nullus dubito.

[1]) In hist. litt. Rom. III² p. 236.

treten, wenn er nichts als einen Auszug aus einem bekannten Werk, das noch dem Ammianus Marcellinus[1]) *vorgelegen haben soll, brachte und doch darüber schwieg? Ich glaube daher, dass die Frage eine andere Lösung erheischt und die Fälle, die von Mommsen herangezogen sind, anders zu deuten sind. Meines Erachtens besteht kein durchschlagender Grund, die Redaktion des Ganzen dem Solin abzusprechen.* Quam verissimam observationem, quam quin amplectar facere non possum, ab omnibus quod sciam viris doctis, qui in investigandis fontibus Solinianis versati sunt, prorsus esse neglectam valde miror. Sed ipse iudices de iis quae in censum veniunt verbis Solini. Hic igitur in praefatione collectaneis rerum memorabilium praemissa de indole consilioque libelli sui satis fuse exponit neque dissimulans se totam materiam ab aliis esse mutuatum de fontibus e quibus hauserit in universum cum Advento communicat haec: *cui* (sc. *libro*), inquit, *si animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei inesse quam bratteas eloquentiae deprehendes. exquisitis enim aliquot voluminibus studuisse me impendio fateor, ut et a notioribus referrem pedem et remotis largius inmorarer.* Quae verba, ut probe Schanzius perspexit, non aliter possunt explicari nisi ut epitomator ipse quaecumque praebeat lectori ex libris nonnullis petiverit nec opus, quod ut vult Mommsenus materiam iam corrasam congestamque continuit, in breve contraxerit. Neque enim quicquam est quare hanc affirmationem Solini in dubitationem vocemus. Mihi autem Schanzius, quem omnino recte iudicasse mihi persuasi, argumenta quae praefatio praebet quibusque haec opinio fulciri potest non plane exhausisse videtur. Insunt enim in epistula dedicatoria nonnulla alia verba, quae mea quidem sententia ita, ut omnis tollatur dubitatio, evincunt Solinum complures fontes adiisse, scilicet: *nonnulla etiam digna memoratu, quae*

---

[1]) de quo mox dicetur.

praetermittere incuriosum videbatur quorumque auctoritas, quod cum primis industriae tuae insinuatum velim, de scriptoribus manat receptissimis et *constantia veritatis penes eos est quos secuti sumus.* Et scholasticus ipse ingenue fatetur: *quid enim proprium nostrum esse possit, cum nihil omiserit antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc usque aevi permaneret?* Praeterea ex his quae inveniuntur: *quorum* (sc. *locorum*) *meminisse ita visum est, ut inclitos terrarum situs et insignes tractus maris servata orbis distinctione, suo quaeque ordine redderemus. inseruimus et pleraque differenter congruentia . . . inter haec hominum et aliorum animalium naturas expressimus* si non certe tamen aliquo iure efficias Solinum ipsum nonnullos auctores consuluisse atque evolvisse neque ex uno commentario libri sui simillimo uno tenore res deprompsisse. Denique ne hoc quidem puto neglegendum esse, satis esse prodigiosum talis operis conlecticii quale exstitisse censet Mommsenus ne uno quidem verbo ullum auctorem Romanum Graecumve mentionem facere, praesertim cum constet encyclopaedias huius generis a multis scriptoribus et extremae litterarum Latinarum aetatis et saeculorum posteriorum expetitas lectitatasque esse, id quod ipsorum collectaneorum Solinianorum tam codicum qui supersunt copia quam adlegationum frequentia satis superque ostendunt.[1]).

Iam deinceps causas perlustremus quibus se recte sua posuisse apparere putat Mommsenus. Affirmat igitur vir egregius adesse argumenta certa[2]) unde efficias eum librum

[1]) Inspicias Mommsenum p. XXV sqq., ubi compilatores Solini collectaneorum enumerantur.

[2]) Non recepit Mommsenus quae olim in ed. priore (Berolini, in aedibus F. Nicolai, 1864, p. XXI. XXII) disputavit, suadere sane universam operis Soliniani condicionem, ut statuendum sit collectanea rerum memorabilium qualia nos legamus Plinianae chorographiae esse epitomam. *Nam qui Plinium ita auxit homo non indiligens . . . cur idem tam multa a Plinio relata sustulerit vix intellegitur. denique mira inaequabilitas libelli modo minima*

quem nos habeamus inscriptum Solini nomine olim exstitisse forma maiore et uberiore. Reperiri enim in Floridis Apulei Madaurensis II 12 locum de psittaco Pliniani (X 117. 119) et Soliniani (p. 191, 8—192, 1) simillimum. Necesse autem est proponam quae apud tres quos habemus enarratores scripta videmus:

Plinius X 117. 119.	Apul. Flor. II 12	Solin. p. 191,8—192,1
India hanc avem mittit, psittacen vocat	Psittacus avis Indiae	Sola India mittit avem psittacum
viridem toto corpore	color psittaco viridis	colore viridem
torque tantum miniato in cervice distinctam.	sola cervice distinguitur. Enimvero cervicula eius circulo mineo velut aurea torqui . . . cingitur.	torque puniceo;
capitis eius duritia eadem quae rostro.	. . . capitis eadem duritia quae rostri.	caput . . tam valens,
hoc, cum loqui discit, ferreo verberatur radio: non sentit aliter ictus.	cum sermonem nostrum cogitur aemulari, ferrea clavicula caput tunditur, imperium magistri ut persentiscat	ut si quando ad discendum plagis sit admonendus (nam studet ut quod homines loquatur), ferrea clavicula sit verberandus.

---

ponentis, modo maxima neglegentis epitomen ni fallor tanquam digito monstrat. Bene fecit vir summus quod in ed. altera haec omisit fortasse ipse intellegens se his verbis nihil expedivisse. Dicit enim in praefatione ipse polyhistor librum esse ad compendium praeparatum quantumque ratio passa esset ita moderate repressum, ut nec prodiga esset in ea copia nec damnosa concinnitas; porroque se a notioribus pedem rettulisse et remotis largius esse immoratum, se addidisse nonnulla digna memoratu quae praetermittere incuriosum visum esset. Quid quaeris? Quae Plinii pedissequus dictu digna existimaverit quaeque censuerit esse silentio praetereunda diiudicare nobis difficillimum est.

Plinius l. c.	Apul. l. c.	Solin. l. c.
cum devolat, rostro se excipit, illi innititur levioremque ita se pedum infirmitate facit.	rostri prima duritia: cum in petram quampiam concitus altissimo volatu praecipitat, rostro se velut ancora excipit.	rostri tanta duritia est, ut cum e sublimi praecipitat in saxum, nisu se oris excipiat et quodam quasi fundamento utatur extraordinariae firmitatis.
. . . .		
verum addiscere, alias (sc. picas) negant posse quam ex genere earum quae glande vescantur	verum ad disciplinam humani sermonis facilior est psittacus glande qui vescitur	
et inter eas facilius quibus quini sint digiti in pedibus.	et cuius in pedibus ut hominis quini digituli numerantur.	inter nobiles et ignobiles (psittacos) discretionem facit numerus: qui praestant, quinos in pedes habent digitos, ceteri ternos.
	. . . .	
ac ne eas quidem ipsas nisi primis duobus vitae annis.	discit autem statim pullus usque ad duos aetatis suae annos, dum facile os uti conformetur, dum tenera lingua uti convibretur; senex autem captus et indocilis est et obliviosus.	dum in pullo est atque adeo intra alterum aetatis suae annum, quae monstrata sunt et citius discit et retinet tenacius: paulo senior et obliviosus et indocilis.

Plinius l. c.	Apul. l. c.	Solin. l. c.
latior his est lingua.	lingua latior quam ceteris avibus; eo facilius verba hominum articulant.	lingua lata multoque lata quam ceteris avibus: unde perficitur, ut articulata verba penitus eloquatur.

Quibus ex locis inter se comparatis apparet, ut suo iure posuit Mommsenus, tam Apuleium quam Solinum [1]), utpote qui non solum in verbis sed etiam in rebus adeo inter se conspirent, ut eundem exhibeant errorem [2]), ad unum eundemque — neque enim putaverim Solinum aut Apuleium has de psittaco narrationes ex duobus scriptoribus (sc. ex Plinio et alio auctore nunc deperdito) delibasse — recedere auctorem, qui commenta Pliniana amplificaverit. Sed nihil aliud nisi hoc unum inde sequitur, minime vero demonstrari potest hunc communem auctorem fuisse conditorem operis collectaneorum Solinianorum simillimi eique polyhistora omnia alia debere additamenta quae apud eum excerptis Plinianis adiecta inveniuntur. Quis autem ille auctor fuerit, ex quo quae de psittaco et de aliis animalibus in collectaneis legimus Solinus lucratus sit, infra ostendere conabimur.

Eodem vinculo quo Plinius Solinus Apuleius coniuncti sint cohaerere sibi persuasit Mommsenus polyhistora et Ammianum Marcellinum, illum rerum gestarum Romanarum scriptorem saeculi p. Chr. n. quarti exeuntis, quem parum considerate inter Solini expilatores hodie recenseri putat. Immo vero etiam Marcellinum pressisse vestigia illius auctoris ignoti, qui Plinii naturalem historiam ad chorographiae formam redegerit, adseverat vir summus

---

1) Alterum alterum expilare non potuisse Mommsenus rectissime docet p. XIX.

2) Nam quae de picis narrat Plinius, uterque refert ad psittacos.

tam in ed. Sol. p. XIX sqq. quam in Hermae vol. XVI p. 627 sqq. Tota autem argumentatio nititur his: Inveniri locos non paucos quibus Ammianus sequatur Solinum a Plinio discedentem; quin etiam haud ita raro animadverti Marcellinum habere Soliniana quae non legantur apud Plinium; atque e contrario exstare locos, ubi Ammianus propius accedat ad Plinium quam ad Solinum. Iam ipsa verba Mommseni[1]) adscribam, ne quid neglexisse videar: *Hätte Ammian beide neben einander gebraucht und im Anschluss an Plinius die Worte des Solinus geändert, so würden wir erwarten dürfen, wenigstens in den geographischen Abschnitten irgend einem von den Memorabilien unabhängigen plinianischen Excerpt zu begegnen. Dies aber ist schlechterdings nicht der Fall. Es bleibt also wohl nichts übrig als die von mir schon früher aufgestellte Annahme*[2]), *dass das uns vorliegende Memorabilienbuch verkürzt ist und dem Ammian reiner und reicher vorgelegen hat als wir dasselbe besitzen.* Atque conatus est Mommsenus nonnulla quae Plinianis Solinianisque adiecta reperiuntur apud Ammianum ad chorographiam q. d. Plinianam deducere. Quam sententiam secutus est Victor Gardthausen, qui in investigandis Ammiani operis partium geographicarum fontibus versatus locos Marcellini cum Solinianis conspirantes ad chorographiam illam Plinianam revocavit negans ab Ammiano ipso adhibitum esse Solinum[3]). Sed ne unum quidem novum argumentum protulit simpliciter adstipulans Mommseno. At Martinus Hertz, qui de Ammiano et A. Gellio doctissime copiosissimeque agens hanc quaestionem perpaucis verbis tetigit, probabiliter suspicatus est[4]) Ammianum ipsum usum esse Plinio Solinoque et relationes

---

[1]) In Hermae vol. XVI p. 628 sq.

[2]) In ed. Sol.[1] p. XXIV sq. ([2] p. XIX sq.), ubi opinionem suam locis quos infra pertractabimus fulcire studet.

[3]) In annalium philologicorum suppl. VI 1872/73 p. 551 sqq.

[4]) In Hermae vol. VIII p. 266 not. 4 = Opusc. Gelliana p. 158 not. 4.

ex his duobus scriptoribus depromptas contaminasse atque ita quidem, ut locutiones Solinianas retinuerit. Et Solinum ab Ammiano ipso inspectum esse vel inde apparere ait vir doctus, quod Marcellinus XXVI 1, 1 eandem elocutionem adhibuerit (sc. *referre a notioribus pedem*), quam legimus apud Solinum in ep. ded. § 3. Quod argumentum Mommsenus eo infringere conatus est, quod dicit[1]) cogitari posse Solinum totam (sic!) praefationem eiusve partem e fonte suo i. e. chorographia Pliniana transtulisse. Quae Mommseni coniectura adcurate in examen mihi vocanda est; nam si vera esset, ea quae dicit Solinus de fontibus et indole collectaneorum rerum memorabilium non ad polyhistora ipsum sed ad auctorem eius referenda essent simulque sane corrueret fundamentum fontium Solinianorum indagandorum, a quo proficiscimur quodque nititur verbis praefationis supra exscriptis. Sed videamus quid rei sit.

Opinatio igitur Mommseniana si rata esset, sequeretur, ut Solinus pro nominibus auctoris sui eiusque amici posuisset suum et nomen Adventi. Namque nomen Adventi non poterat exstare in fonte Solini, cum ille factus esset consul a. 218, chorographia autem Pliniana, quam in compendium redegisse dicitur Solinus, sententia Mommseni conscripta esset saeculo secundo imperante Hadriano aut Antonino Pio[2]). Neque vero ulla re Mommsenus suspicioni suae fidem facere potest; quin etiam eam ne specie quidem probabilitatis commendari, qui totam praefationem oculis percurret, iam primo obtuto cognoscet. Quisnam est qui sibi persuadeat Solinum tam insulsum fuisse, ut verba illa blanda, quibus opusculum amico fautorive dedicans utitur *Cum et aurium clementia et optimarum artium studiis praestare te ceteris sentiam idque oppido expertus de benivolentia tua nihil temere praeceperim, e re putavi examen opusculi istius tibi potissimum dare*,

---

[1]) In Hermae vol. XVI p. 629 not. 1.

[2]) Mommsenus p. XXIII. De hac re infra disputabimus.

cuius vel industria promptius suffragium vel benignitas veniam spondebat faciliorem ex opere pervulgato descripserit? Num porro credibile est scholasticum ea quae legimus *cui si animum . . intenderis* et *industriae tuae insinuatum velim* et *quaeso, ne de praesenti tempore editionis huius fidem libres* atque *ita si qua ex istis secus quam opto in animum tuum venerint, des velim infantiae meae veniam* alii scriptori debere et ne haec quidem ex suo ipsius ingenio petivisse, quibus quidnam tractare in animo habuerit Advento indicat? Minime a me impetro ut statuam tam impudentem furem fuisse Solinum. An dubitas, quin Adventus, si res ita se habuisset, ut vult Mommsenus, tam miseram epistulam dedicatoriam, quam iam in alio libro legerat — neque enim quisquam negaverit chorographiam illam Plinianam si exstitisset in manibus quoque Adventi fuisse — quaeque re vera ad alium scripta erat una cum collectaneis plane repudiaturus fuerit? Sed vereor ne nimius fuisse videar in refellenda hac suspicione Mommseni; hoc unum addam Solinum non usum esse epistula, quam in opere collectaneorum simillimo imperante Hadriano Piove edito exstitisse sumpsit vir summus, sed ipsum praefationem confinxisse non solum per se manifestum esse, verum etiam inde confirmari, quod in his paragraphis Solinianis sermo invenitur nimium quantum a saeculo p. Chr. n. secundo abhorrens. Quae qui expenderit, concedet Hertzium sine dubio recte posuisse Ammianum Marcellinum verba *referre a notioribus pedem* nemini alii nisi Solino ipsi debere.

Sed quamquam vel hac causa Ammianum collectanea Soliniana ante oculos habuisse sua sponte patet, tamen adcuratius perquiram necesse est quonam vinculo Marcellinus Solinus Plinius coniuncti sint, cum propterea quod hac in re diiudicanda valde in ancipiti versantur viri docti[1]),

[1]) Inspicias quaeso Alfredum Gercke, Seneca-Studien, annal. philol. suppl. XXII p. 99. Supersedeo opinionem a Carolo

tum quod hanc quaestionem ad fontem fontesve Solini recte aestimandos summi momenti esse liquet atque nos hanc disquisitionem instituentes optime possumus perscrutari, num quo iure Mommsenus sua posuerit. Priusquam vero ad hanc quaestionem absolvendam accedamus, nobis pauca praemittenda sunt.

Magna cum diligentia sagacitateque viri docti — Martinum Hertz[1]), Hugonem Michael[2]), Ernestum Schneider[3]) nominasse sufficiat — de Ammiani Marcellini fontibus egerunt inprimisque pervestigaverunt eos quos ad digressiones quas usquequaque in res ad historiam pertinentes inseruit componendas ille scriptor adhibuit auctores. Sed qui adhuc praeter Gardthausenum Mommsenumque Ammianum tractaverunt, id potissimum spectaverunt, ut quemadmodum in formandis struendisque verbis alios auctores Marcellinus imitatus esset detegerent atque quantopere amasset flosculis aliunde subreptis quasi ornamentis narrationem suam distinguere. Namque Ammianus natione Graecus[4]), quippe qui iam aetate provectus linguam Latinam didicisset, ex variis variorum librorum locis verba elocutionesque corrasit atque conlegit, quibus id quod narrare voluit quam elegantissime exprimeret; quod eum ideo molitum esse patet, ut narratio sua acciperet colorem Latinitatis. Quae studia Ammiani cum inprimis qui de fontibus eius egerunt, exponere studerent, factum est, ut

---

Friderico Lehmann prolatam adcuratius examinare. Qui vir doctus aliam rem agens quasi in transcursu concentum inter Melam Plinium Solinum Ammianum intercedentem ita expediebat, ut a quattuor enarratoribus exscriptum esse Hecataeum statueret (Archaeol. Anzeiger 1893 p. 71 sq.). Neque vero uno argumento hanc sententiam firmavit neque unquam firmabit. Cf. Gerckium l. c. not. 1, qui iure meritoque vehementer hanc opinationem reprehendit.

1) In Herm. vol. VIII p. 257—302 = Opusc. Gell. p. 146 sqq. De Ammiani Marcellini studiis Sallustianis, Ind. lect. Vrat. 1874.

2) De Ammiani Marcellini studiis Ciceronianis, diss. Vrat. 1874.

3) Quaestiones Ammianeae, diss. Berol. 1879.

4) Cf. XXXI 16, 9.

quae ratio inter Plinium Solinum Marcellinum intercederet neque ante Mommsenum neque postea quisquam adcuratius inquireret. Neque enim eodem modo atque alios scriptores, veluti Ciceronem, A. Gellium, Valerium Maximum, Plautum, Terentium, Tacitum multosque alios, Ammianus usurpavit Plinium eiusque pedissequum[1]): rarissime verba locutionesque atque sententiae ex his duobus auctoribus delibatae tibi obviam fiunt. Quod noli ita accipere quasi affirmem Ammianum Solinum Plinium verbis inter se non concinere — immo consensus elocutionum inter hos scriptores quantus exstet, dissertatio ipsa ostendet. Hoc tantummodo dico, perraro usum esse Marcellinum elocutionibus Solinianis Plinianisque easque adhibentem prorsus aliam rem narrasse atque illos; quod eum persaepe in aliis scriptoribus fecisse videmus. Quod nos miros habere non potest, cum dictio Solini, utpote qui, ut ipse ait, evitaverit bratteas eloquentiae cuiusque sermo sane labentis saeculi indicia indubia prae se ferat, vix adriserit Marcellinis; nec magis quam ratio scribendi Soliniana Plinii genus dicendi, quippe quem omnes sciamus breviloquentiam praecipue adfectasse, fuit idoneum quod invitaret Ammianum, ut id imitandum sibi proponeret. Aureae igitur quam vocant litterarum Latinarum aetatis scriptores potius consuluit historicus ille Romanus atque colore quodam antiquitatis sermonem suum adspersit. Quibus expeditis quid tractandum sit consideremus paucisque antea absolvamus, quam viam ratiocinationis ingrediamur. Atque primum quidem argumenta nonnulla proferam, unde iam per se fit probabile Marcellinum ipsum inspexisse collectanea Soliniana; deinde contemplemur quamnam rationem et consuetudinem teneat Ammianus in rebus ex aliis scriptoribus compilandis, ut Rufio[2]) Festo, A. Gellio, quos quin ipse legerit dubium

[1]) Sive putas ab Ammiano ipso inspectos esse Plinium Solinumque sive credis hos auctore interposito ab illo adhibitos esse.

[2]) Rufium non Rufum appellari hunc scriptorem probabiliter ostendit Mommsenus in Hermae vol. XVI p. 605 not. 1.

esse nequit[1]. Atque ex his quae inde efficiuntur observationibus concludens quod concludendum est demonstrabo prorsus reiciendam esse opinationem Mommsenianam.

Causa quam ad sententiam suam firmandam profert Mommsenus non id demonstrare virum summum quod demonstrare cupit, unusquisque puto qui rem attentius contemplatus erit fatebitur. Probe sane perspexit vir egregius numquam animadverti apud Ammianum excerptum ex Plinio factum, quod non ullo vinculo cognationis cum Solinianis quae in censum veniunt coniunctum sit. At inde nequaquam sequitur id quod suspicatusest Mommsenus. Neque enim video quid obstet quominus statuamus Marcellinum una cum Plinio eius pedissequum adhibuisse. Mommsenus autem prorsus ad arbitrium iudicasse non possumus non adseverare. Aurelium enim Augustinum et Marcianum Capellam et Isidorum quisquis eorum libros cum Plinianis Solinique collectaneis comparaverit iam primo obtutu cognoscet semper fere una cum Solino auctorem eius principalem in usum vocavisse atque ita quidem, *ut saepe ambos scriptores* — Mommsenum ipsum facio loquentem[2] — *simul inspicerent et in eodem capite utriusque verba miscerent. Coniuncta haec Pliniani et Soliniani librorum usurpatio non solum obtinuit extrema litterarum Latinarum aetate, id est Constantinopolitana, sed adeo ad medii aevii incipientis grammaticos videtur propa-*

---

[1]) Iure meritoque refutat Mommsenus Gardthausenum, qui l. c. p. 532 sq. (cf. p. 24 not. 1 huius disputationis) nescio quo pacto negat Rufium ab Ammiano ipso inspectum esse. Nec minus falso iudicasse Gardthausenum de Sallustii historiis easque a Marcellino ipso lectas esse et Alfredus Gutschmid (Literar. Zentralblatt 1873 Nr. 24 p. 736 sqq. = Kleine Schriften V p. 369 sq.) optime suspicatus est et Martinus Hertz non ambiguis exemplis demonstravit (de Amm. Marc. stud. Sall., Ind. lect. Vrat. 1874).

[2]) in ed.[2] p. XXVII. Videas quaeso quod idem disputat p. XXV de Augustino Plinii Solinique sectatore.

gata esse. Quorsum tandem et quare dubitat Mommsenus, quin eadem factitaverit Ammianus?

Sed ne credas me temere impugnare virum maximo ingenii acumine praeditum, singula videamus. Opinationem Mommsenianam iam per se nulla probabilitate commendari nemo opinor non agnoscet qui secum haec consideraverit. Nonne prodigiosum est et veri admodum dissimile Ammianum, praesertim qui tot auctores et Graecos et Romanos nequaquam pervulgatos ipse expetiverit lectitaveritque, Plinium Solinumque, scriptores nemini propter ingenium molestos, ad opus suum condendum numquam adhibuisse? Collectanea vero Soliniana nulla alia auctoritate interposita Marcellinum ante oculos habuisse omnino non negandum esse censeo propterea, quod persaepe inter duos hos scriptores talem verborum concentum intercedentem videmus qualem oriri potuisse non crediderim, si Marcellinus fontem polyhistoris i. e., ut vult Mommsenus, chorographiam quandam Plinianam consuluisset. Neutiquam putaverim duos compilatores eodem modo reddituros fuisse effigiem communis auctoris.[1]) Sed ut ipse iudices, haec proponam, quae uterque refert:

De Danubio:

Solin. p. 80, 12 sqq.	Amm. XXII 8, 44. 45
sexaginta amnes in se recipit ferme omnes navigabilis. septem ostiis . . . quorum primum Peuce, se-	sexaginta navigabilis paene omnes recipiens fluvios, septem ostiis . . . quorum primum est Peuce . . ., se-

[1]) Ceterum monuerim Mommsenum ipsum inde quod Rufius Festus et Ammianus cum rebus tum verbis inter se conspirant, illum ab hoc expilatum esse conclusisse. Audiamus virum doctissimum (Herm. XVI p. 606): *An diesen schliesst sich Ammian . . . nicht bloss sachlich, sondern auch wörtlich auf das engste an, so dass man schon in dieser Hinsicht nicht geneigt sein wird die Übereinstimmung mit Gardthausen auf ein Ausschreiben derselben Quelle zurückzuführen.* Quare non idem coniecit Mommsenus de Ammiano Solinoque?

cundum Naracustoma, tertium Calonstoma, quartum Pseudostoma; nam Borionstoma ac deinde Spilonstoma, languidiora sunt ceteris, septimum vero pigrum ac palustri specie non habet quod amni comparetur.	cundum Naracustoma, tertium Calonstoma, quartum Pseudostoma; nam Borionstoma ac deinde Stenostoma languidiora sunt ceteris; septimum segnius et palustri specie nigrum.

De crocodilo:

Solin. p. 143, 5 sqq.	Amm. XXII 15, 15
Crocodilus malum quadrupes . . . maxillam movet superiorem. . . . stipante se pectinatim serie dentium . . . qualia anseris edit ova . . .	crocodilus . . . quadrupes malum . . . maxillam superiorem commovens . . ., ordine dentium pectinato . . . per ova edens fetus anserinis similia.

De pyramidibus:

Solin. p. 147, 13 sqq.	Amm. XXII 15, 28. 29
pyramides turres sunt fastigatae ultra excelsitatem omnem quae fieri manu possit. itaque mensuram umbrarum egressae nullas habent umbras.	pyramides . . . ultra omnem omnino altitudinem, quae humana manu confici potest, erectae sunt turres . . . quarum magnitudo . . . umbras quoque mechanica ratione consumit.

De Seribus:

Solin. p. 182, 10 sqq.	Amm. XXIII 6, 67. 68
Seras cognoscimus, qui aquarum aspergine inundatis frondibus vellera arborum adminiculo depectunt liquoris et lanuginis teneram subtilitatem umore domant ad obsequium . . .	Seres . . . a quibus arborum fetus aquarum asperginibus crebris velut quaedam vellera molientes ex lanugine et liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt . . .

Seres ipsi quidem mites et inter se quietissimi, alias vero reliquorum mortalium coetus refugiunt . . . depositarum rerum pretia oculis aestimantibus sua tradunt.	agunt autem ipsi quietius Seres . . . vitantes reliquorum mortalium coetus . . . propositarum rerum pretia solis oculis aestimantur.

De oleo Medico:

Solin. p. 99, 11 sqq.	Amm. XXIII 6, 37
herba, qua inficitur oleum quod vocant Medicum: hoc ad incendium excitatum si obruere aqua gestias, ardet magis nec alio sopitur quam iactu pulveris.	oleum conficitur Medicum . . (cf. 38: oleum usus communis herba . . . infectum) si aqua voluerit abluere quisquam, aestus excitat acriores incendiorum, nec remedio ullo quam iactu pulveris consopitur.

De Apide tauro:

Solin. p. 142, 6 sqq.	Amm. XXII 14, 7. 8
. . . insignem . . macula, quae dextero lateri eius ingenita corniculantis lunae refert faciem. statutum aevi spatium est, quod ut adfuit, profundo sacri fontis inmersus necatur, ne diem longius trahat quam licebit. mox alter nec sine publico luctu requiritur, quem repertum centum antistites Memphim prosequuntur, ut incipiat ibi sacris initiatus sacer fieri.	. . . corniculantis lunae specie latere dextro insignis, qui cum post vivendi spatium praestitutum sacro fonte inmersus e vita abierit — nec enim ultra eum trahere licet aetatem . . . — necatur . . . alter cum publico quaeritur luctu, . . . ducitur Memphim . . . cumque initiante antistitum numero centum . . . esse coeperit sacer . . .

Artissimo igitur nexu luculenter patente quis est qui credat Ammianum a Solino non pendere, sed utrumque ex eodem hausisse communi auctore i. e. conditore choro-

graphiae Plinianae quam nullus scriptor nominat quamque exstitisse fontem Solini et Marcellini ut negemus omnibus quae adhuc observavimus necessario adducimur. Sed nolo acquiescere his exemplis atque unum addo quo dilucide comprobatur Ammianum ipsum adiisse collectanea Soliniana. Agit enim breviter Marcellinus de anni Romanorum mutationibus. Copiosius de eodem argumento disputant Solinus Macrobius Censorinus ad unum eundemque fontem redeuntes [1]). Contemplemur autem quae praebet Marcellinus congruentia cum narrationibus eorum:

Amm. Marcell. XXVI 1, 12	Solin. p. 10, 24 sqq.	Macrob. I 14, 1 sqq.	Censor. XX 6 sqq.
haec nondum extentis fusius regnis diu ignoravere Romani, perque saecula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine (cf. Sol. p. 9, 10: profunda caligine) fluctuabant cum in sacerdotes potestatem transtulissent interkalandi, qui licenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis ad arbitrium suum subtrahebant tempora vel augebant. . . .	Quod . . Romani . . . brevi perdiderunt, translata in sacerdotes intercalandi potestate: qui plerumque gratificantes rationibus publicanorum pro libidine sua subtrahebant tempora vel augebant.	Verum fuit tempus cum propter superstitionem intercalatio omnis omissa est, non numquam vero per gratiam sacerdotum, qui publicanis proferri vel imminui consulto anni dies volebant, modo auctio modo retractio dierum proveniebat. . . .	Quod delictum ut corrigeretur, pontificibus datum negotium eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa. Sed horum plerique ob odium . . . quo quis magistratu citius abiret diutiusve fungeretur aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove esset, . . ex libidine intercalando rem . . . depravarunt..

1) Hanc rem infra adcuratius tractabimus.

Amm. l. c.	Solin. l. c.	Macrob. l. c.
Augustus . . hanc inconstantiam correcta turbatione conposuit . . .	Caesar . . hanc inconstantiam, incisa temporum turbatione, composuit.	Sed postea C. Caesar omnem hanc inconstantiam temporum vagam . . . in ordinem statae definitionis coegit.

Narratiunculam Ammiani multo magis conspirantem videmus cum Soliniana quam cum Macrobii Censorinique relationibus. Easdem enim elocutiones quas legimus apud polyhistora invenimus apud Marcellinum. Iam vero cum iis Gellii Plutarchique capitibus, e quibus scientiam suam petivit Macrobius, cum ipsis Saturnalibus conlatis adpareat hunc quam adcuratissime auctorum suorum vestigia pressisse et ad verbum fere ea quae in fonte suo legerat transcripsisse[1]), pro explorato habere possumus hic quoque Macrobium rationem describendi suam secutum verba auctoris sui qui aetatem non tulit paene ad verbum reddidisse. Itaque cum quasi ad unguem consentientem Ammianum deprehendamus cum Solino, non cum Macrobio, non incauti esse mihi videtur conicere Marcellinum non fontem Solini Macrobii Censorini exscripsisse, sed polyhistora ipsum. An credis veri esse similius alterum itidem eodemque modo atque alterum verba eiusdem auctoris immutasse, quae sincerissime nobis servavisse Macrobium omnibus numeris probabile est?

Praeterea alia inveniuntur quibus demonstretur Ammianum ante oculos habuisse collectanea Soliniana.

---

[1]) Qua de re videas quaeso quod Georgius Wissowa docet, De Macrobii Saturnaliorum fontibus capita tria, Diss. Vratisl. 1880 p. 13. 14. Dicit vir doctissimus: *itaque in universum satis adcurate Macrobius egit et plerumque quam artissime pressit auctorum suorum vestigia, ita ut singulas fere eorum sententias singulaque enuntiata exprimeret.*

Colchorum urbem Dioscuriadem apud Phasin flumen sitam Amphitum et Cercium, aurigas Castoris et Pollucis, condidisse, a quibus Heniochorum gens exorta sit, narrat Solinus (p. 85, 13–15) Plinii vestigiis insistens, apud quem reperiuntur haec (VI 16): *sunt qui conditam eam ab Amphito et Telchio Castoris ac Pollucis aurigis putent, a quibus ortam Heniochorum gentem ferc constat.* Atque Telchium non Cercium nomen fuisse socio Amphiti a Charace docemur.[1]) Itaque nullus dubito, quin Solinus, quippe qui fuerit neglegens et socors, pro Pliniano Telchio posuerit Cercium[2]) fortasse Cercam[3]) socium Amphistrati — nam sic quoque aurigae Dioscurorum appellantur — in animo habens. Idem autem nomen Cercium perhibent et Isidorus[4]) Solini pedissequus et Ammianus[5]). Quid obstat quominus credamus — id quod proximum est — Marcellinum aeque atque Hispalensem episcopum falsam nominis formam a Solino ipso accepisse? Num tribuamus hunc errorem non Solino, qui quam socors fuerit arguit libellus universus et a nobis infra ostendetur, sed auctori ignoto credamusque ex hoc tam Solinum quam Ammianum nomen Cercium transtulisse?

Nec minus luculenter ex Sol. p. 182, 12 sqq. cum Amm. XXIII 6, 67 comparato cognoscitur scholasticum auctorem

---

1) Mueller F. H. G. III p. 639 (Schol. ad Dionys. Perieg. 687): *Χάραξ δέ φησι πολλαῖς ναυσὶν ἐκπλεῦσαι τοὺς Ἀργοναύτας, ὧν ἀποπλανηθεῖσα μία ναῦς προσηράχθη τῇ Μαιώτιδι. Οἱ δὲ ἐμπλέοντες Τέλχις καὶ Ἄμφιτος ἡνίοχοι τῶν Διοσκούρων ὄντες αὐτόθι μείναντες ἦρξαν* . . . .

2) Vide quam sit similis horum nominum conformatio. Cf. Grialum ad Isid. Orig. XV 1, 40 (28).

3) Strabo XI p. 496; cf. Valesius ad Amm. Marc. XXII 8, 24 et Zschuckius ad Melam I 110, vol. III p. 626.

4) Isid. Orig. XV 1, 40: *Dioscoriam Colchorum urbem Amphytus et Cercius aurigae Castoris et Pollucis fabricaverunt* . . .

5) Amm. Marcell. XXII, 8, 24: *Dioscurias nunc usque nota, cuius auctores Amphitus et Cercius Spartani traduntur, aurigae Castoris et Pollucis, quibus Heniochorum natio est instituta.*

fuisse Marcellini. Refert enim ibi Solinus ex Plin. VI 54 de sericis feminarum vestibus addens Plinianis nunc etiam viris in usu esse sericas. Quam adnotationem grammaticum ex suo ipsius ingenio petivisse patet. Neque enim poterat Solinus eam legere apud Plinium neque in chorographia Pliniana ante Hadrianum imperatorem composita, cum e Tacito[1]) accipiamus senatus consultum vetuisse veste serica viros uti et Aelius Lampridius[2]) doceat Heliogabalum primum Romanorum holoserica veste usum esse. Idem valet in Ammianum, qui nobiscum haec communicat (XXIII, 6, 67): *conficiunt* (sc. *Seres*) *sericum ad usus antehac nobilium, nunc etiam infimorum sine ulla discretione proficiens.* Iam vero Marcellinum ultro adiecisse nunc etiam infimos uti sericis veri parum simile est propterea, quod cur id rettulerit nulla causa adparet; probabilius puto esse eum verbis Solinianis commotum esse, ut hanc adnotationem — nimirum debuit Soliniana accommodare ad morem suae aetatis — faceret. Huc accedit quod ad verbum fere in Seribus describendis ambo scriptores inter se concinunt (cf. supra p. 25 sq.); animadvertas praeterea quaeso Sol. p. 182, 14 *nunc etiam viris* et Amm. XXIII 6, 67 (p. 334, 27 Gardth.) *nunc etiam infimorum.*

Quibus ex observationibus iam adparebit opinor Ammianum ipsum inspexisse et exscripsisse collectanea Soliniana. Age nunc ad reliqua pergamus et examinemus quomodo Marcellinum eos quos ipse evolvit auctores in usum vocaverit — Rufium Festum et A. Gellium e magno numero scriptorum adhibitorum eligo —, ut commentationi de Marcellino Solini Pliniique sectatore instituendae firmum substruatur fundamentum. Et sane cognosces ne minimam quidem esse causam cur existimemus inter Ammianum et polyhistora intercedere chorographiam quandam Plinianam.

---

1) Tacit. annal. II 33.

2) Vita Heliogab. 26, 1.

Rufium Festum quamquam a Marcellino nusquam nominatim adpellatus est, tamen ab eo haud ita raro inspectum esse et ex apertissimo verborum rerumque concentu, qui inter ambos scriptores deprehenditur, et ex aliis indiciis suo iure coniecit Mommsenus[1]). Capita autem Festi et Ammianea, quae illis respondent, si quis data opera inter se contulerit, facile intelleget quantopere Marcellinus narrationes ab illo arcessitas additamentis ex suo ipsius ingenio haustis auxerit. Quod quam verum sit exemplis paucis sed si fieri potest luculentis ostendam. De Thracia apud utrumque scriptorem leguntur haec:

Amm. Marcell. XXVII 4, 10—12

Verum aucta re publica, dum consulare vigeret imperium, has gentes antehac semper indomitas vagantesque sine cultu vel legibus, Marcus Didius ingenti destinatione pressit, Drusus intra fines continuit proprios, Minucius prope amnem Hebrum a celsis Odrysarum montibus fluentem, superatos proelio stravit, post quos residui ab Appio Claudio pro consule sunt infesta concertatione deleti. oppida enim in Bosporo sita et Propontide classes optinuere Romanae. advenit post hos imperator Lucullus, qui cum durissima gente Bessorum conflixit omnium primus, eodemque impetu Haemimontanos acriter resistentes

Ruf. Fest. IX

Marcus Didius vagantes Thracas repressit: M. Drusus intra fines proprios continuit: M. Minucius in Hebri fluminis glacie vastavit. Per Appium Claudium proconsulem, hi qui Rhodopen incolebant, victi sunt. Europae maritimas urbes antea Romana classis obtinuit. M. Lucullus per Thracias cum Bessis primum conflixit. Ipsam caput gentis Tratiam vicit:

---

[1]) In Hermae vol. XVI p. 606 sqq.

Amm. Marcell. l. c.

oppressit. quo inminente Thraciae omnes in dicionem veterum transiere nostrorum, hocque modo post procinctus ancipites rei publicae sex provinciae sunt quaesitae. Inter quas prima ex fronte, quae Illyriis est confinis, Thracia speciali nomine appellatur: quam Philippopolis, Eumolpias vetus, et Beroea amplae civitates exornant. post hanc Haemimontus Hadrianopolim habet, quae dicebatur Ascudama, et Anchialon, civitates magnas. dein Mysia, ubi Marcianopolis est a sorore Traiani principis ita cognominata, et Dorostorus et Nicopolis et Odyssus, iuxtaque Scythia, in qua celebriora sunt [aliis] oppida Dionysopolis et Tomi et Calatis. Europa omnium ultima praeter municipia urbibus nitet duabus, Apris et Perintho, quam Heracleam posteritas dixit.

Ruf. Fest. l. c.

Haemimontanos subegit: Eumolpiadem, quae nunc Philippopolis dicitur; Uscudamam, quae modo Hadrianopolis nominatur, in ditionem nostram redegit: Calyben cepit. Supra Pontum positas civitates occupavit, Apolloniam, Calatim, Phthinopolin, Tomos, Istrum; ad Danubium usque perveniens, Romana Scythis arma monstravit. Ita ditioni rei publicae sex Thraciarum provinciae sunt conquisitae; Thracia, Haemimontus, Moesia inferior, Scythia, Rhodope, Europa; in qua nunc secundae arces Romani orbis sunt constitutae, Constantinopolis.

Utriusque commenti explicationes maximam partem inter se adeo conspirant, ut quin Ammianus ex Rufio Festo pendeat dubium esse nequeat. Simulque autem cognoscimus plura quam Rufium praebere Marcellinum. Quae additamenta utrum Ammianus de suo addiderit an aliunde petiverit haud difficile est ad diiudicandum. Ac primum quidem ea quae legimus Hebrum amnem a celsis Odrysarum montibus fluere de suo adiecisse Marcellinum pro explorato equidem habeo animadvertens eundem scriptorem narrare XVIII 6, 5: *Nos interea paulisper cis Taurum*

morati ex imperio ad partes Italiae festinantes prope flumen venimus Hebrum ex Odrysarum montibus decurrentem ibique principis scripta suscepimus . . . Deinde propter ea quae inveniuntur Haemimontanos acriter restitisse nullum librum ab Ammiano esse inspectum, cum haec sint vulgaria, iam per se manifestum est. Tum quae sequuntur primam sex provinciarum in dicionem Romanorum redactarum ex fronte quae Illyriis sit confinis Thraciam speciali nomine appellari, oppidum Marcianopolim a sorore Traiani principis ita esse cognominatum, denique nomina urbium nonnullarum quae apud Rufium non exstant nemini nisi sibi ipsi Marcellinum debere, ex verbis efficitur, quae antequam ad Thraciam describendam aggrediatur facit in eodem eiusdem libri capite (XXVII 4, 2): *erat Thraciarum descriptio facilis, si veteres concinerent stili, quorum obscura varietas quoniam opus varietatem professum non iuvat, sufficiet ea, quae vidisse meminimus, expedire.* Certe igitur ipse Marcellinus in oppidis Thraciae plerisque fuit atque quae viderat fandoque acceperat nobiscum communicat. Iam vide quae de bybliothecis Serapei tradit ex Gellio hausta, ut hi loci inter se conlati monstrant:

Amm. Marcell. XXII 16, 13	Gell. Noct. Attic. VII 17,3
in quo bybliothecae fuerunt inaestimabiles: et loquitur monumentorum veterum concinens fides septingenta voluminum milia, Ptolemaeis regibus vigilis intentis conposita bello Alexandrino, dum diripitur civitas sub dictatore Caesare, conflagrasse.	Ingens postea numerus librorum in Aegypto ab Ptolomaeis regibus vel conquisitus vel confectus est ad milia ferme voluminum septingenta; sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, . . . incensa sunt.

Quae praeterea Serapeum templum Alexandriae prodit atriis columnariis amplissimis et spirantibus signorum figmentis et reliqua operum multitudine ita esse exornatum,

ut post Capitolium nihil orbis terrarum ambitiosius cernat, Ammiano ipsi tribuenda esse haud sane facile quisquam eorum, qui Ammianum per Aegyptum esse peregrinatum ibique multa spectasse secum consideraverint, negaverit (cf. XVII 4, 6). Praeterea compares Amm. XIV 8, 4 cum Ruf. XII, ut quantopere aliorum doctrinae divitias suis amplificare studuerit Marcellinus discas. Hi quos intellego loci de Cilicia Isauriaque provinciis agunt:

Amm. Marcell. XIV, 8, 4	Ruf. Fest. XII
hae duae provinciae bello quondam piratico catervis mixtae praedonum a Servilio pro consule missae sub iugum factae sunt vectigales. et hae quidem regiones velut in prominenti terrarum lingua positae ob orbe eoo monte Amano disparantur.	Cilices et Isauros, qui se piratis et praedonibus maritimis iunxerant, Servilius proconsul, ad praedonum bellum missus, subegit, et viam per Taurum montem primus instituit.

Num credis propterea quod Ammianus, qui partim verbotenus cum Festo consentit, plura quam is exhibet quae translaticia fere sunt, Rufii breviarium non legisse, sed fontem Rufii scriptoremve, qui eius breviarium excerptis aliorum auctorum auxerit, adhibuisse? Immo hoc additamentum Ammiano ipsi, quippe qui tot itinera per provincias orientales fecerit (cf. XIV 9, 1; XVI 10, 21; XXX 4, 4) multasque regiones ipse viderit, vindicandum est. Neque falsam esse hanc suspicionem mirum quantum inde confirmatur, quod permultis aliis locis inveniuntur hae talesque adnotationes ad nullum scriptum fontem recedentes, quibus nihil amplius nisi geographiae scientiam ostentare studet Marcellinus.[1])

---

[1]) Legas quaeso haec: *vastabundi omnes pandebantur . . . ad usque Rhodopen et fretum, quod immensa disterminat maria* XXXI 8, 6; *Pescennius Niger . . . . a Severo superatus in sinu Issico, qui est in Cilicia* XXVI 8, 15; *Procopius . . . Mygdum adceleravit, qui locus Sangario adluitur flumine* XXVI 7, 14;

Cuius componendi rationis alia congeri possunt exempla. Sed nolo esse multus atque sufficere arbitror ea, quae adhuc disputavi, ut demonstrem valde amasse hunc scriptorem narrationes ex aliis auctoribus deprompta additamentis a se ipso fictis amplificare.

Iam vero quid impedit quominus credamus eandem secutum esse consuetudinem Ammianum in expilando Solino? Sic, ut locum Marcellini a Mommseno nescio quomodo ad chorographiam Plinianam revocatum[1]) adferam, ad crocodilum describendum quin Ammianus ipse usurpaverit polyhistora, quare in dubitationem vocemus respicientes eum quem modo expedivimus usum Ammianeum? Et de similitudine eorum qui in censum veniunt locorum quo facilius iudicetur, omnes componamus addito etiam Pliniano:

Plin. VIII 89	Solin. p. 143, 12—14	Amm. Marcell. XXII 15, 16
magnitudine excedit (sc. crocodilus) plerumque duodeviginti cubita . . . et unguibus autem armatus est contra omnes ictus cute invicta. dies in terra agit, noctes in aqua . . .	noctibus in aqua degit, per diem humi adquiescit. circumdatur maxima cutis firmitate in tantum, ut ictus quovis tormento adactos tergo repercutiat.	utque armatus est unguibus, si haberet etiam pollices, ad evertendas quoque naves sufficeret viribus magnis: ad cubitorum enim longitudinem octodecim interdum extentus, noctibus quiescens per undas, diebus humi versatur confidentia cutis, quam ita validam gerit, ut eius terga cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur.

Atque primum quidem verba polyhistoris ex ipsis Plinianis orta esse mihi totus persuasi nec video cur

---

cum enim venisset Dadastanam, qui locus Bithyniam distinguit et Galatas XXV 10, 12; *Valens . . . cum robustis auxiliis Pessinunta signa propere tulit, Phrygiae quondam, nunc Galatiae oppidum* XXVI 9, 1; *Publius Cornelius Scipio . . . apud Genuam observabat Liguriae oppidum* XV 10, 10 et m. al.

[1]) in Hermae vol. XVI p. 628 not. 1.

Soliniana a verbis *circumdatur maxima* ad *repercutiat* vindicet Mommsenus auctori ignoto. Porro quis est qui assentiatur Mommseno putanti Ammianum non inspexisse Solinum sed scriptorem qui Plinium excerpserit excerptaque ex eo facta aliorum auctorum placitis ampliarit? Nam adnotationem *utque armatus est* . . ., quae neque apud Plinium neque apud Solinum invenitur, Marcellinum de suis addidisse certum est, cum illa verba praebeant perquam vulgaria. Iam vero tam Ammianus quam Plinius refert crocodilum *ad cubitorum longitudinem octodecim* esse extentum, Solinus autem (p. 143, 8) huic bestiae viginti tribuit ulnas. Num incredibile est hunc numerum ex Plinio ipso petivisse Ammianum?

Iam deinceps alios locos Ammianeos cum Solinianis Plinianisque concinentes contemplemur ostendamusque nihil esse quod et Plinium et eius compilatorem ab Ammiano ipso exscriptos esse negemus et additamenta quae Solinianis Plinianisque adiecta inveniuntur apud Ammianum ad alios scriptores revocanda aut illi ipsi tribuenda esse. Qua in re expedienda, ne longus sim, non omnes locos Solinianos Plinianosque cum Ammiano conspirantes exscribam lectorique proponam, sed eos tantummodo, quibus ante omnes firmare opinionem suam sibi visus est Mommsenus. Sed vir doctissimus ipse fatetur[1]: *Wo uns Solinus im Stich lässt, vermögen wir nur selten eine Nachricht mit einiger Sicherheit auf diese Quelle* (i. e. chorographiam Plinianam) *zurückzuführen.* Sed introspiciamus quid rei sit.

Ammianus XXII 16, 7 de Alexandria dicens hanc urbem nobilitare et magnificentiam conditoris altissimi et architecti sollertiam Dinocratis narrat consentiens cum Sol. p. 147, 3. 4. Ad ea autem quae in eadem paragrapho leguntur, illum Dinocratem, cum ampla moenia fundaret, penuria calcis ad monumentum parum repertae omnes

[1]) in Hermae vol. XVI p. 630.

ambitus lineales farina respersisse, adnotat Mommsenus haec[1]: *Die Anekdote über Dinocrates lehnt so eng sich an, dass sie auch wohl ein von Solinus weggelassener Zusatz der plinianischen Chorographie ist; allerdings konnte Ammian sie auch aus Valerius Maximus I 4 ext. 1 entnehmen.* Quod alterum certe verum est, cum Valerium Maximum totiens exscripserit Ammianus.

Nec aliter res se habet de quibusdam aliis locis, quibus aliquem uti posse dixeris, ut demonstret eum librum quem nos habemus inscriptum nomine Solini olim exstitisse forma maiore uberioreque eumque exscripsisse Ammianum. Memorat enim hic XIV 8, 3 Tarsum urbem Ciliciae condidisse Perseum, Iovis filium et Danaes, Solini premens vestigia p. 161, 14, ubi eandem rem expositam videmus. Deinde pergit: *vel certe ex Aethiopia profectus Sandan quidam nomine vir opulentus et nobilis* atque nobiscum communicat, quis Anazarbum et Mobsuestiam condiderit Mobsi fata, commilitonis Argonautarum, exponens. Neque hoc neque illud apud Plinium Solinumque reperis. Neque tamen necesse est chorographiam quandam Plinianam fontem statuere Marcellini. Nam omnia huius generis, quae cum mythologia coniuncta sunt inprimisque ad Argonautas pertinent, ad Timagenis περίπλουν πάσης θαλάσσης redire veri admodum simile est; id quod Mommsenus ipse non potest non fateri.[2]) Atque idem valet in XXII 8, 14, ubi Bithyniam describens cum excerpto Soliniano (p. 171, 16—19) conciliat relationes de Harpyiis et Synplegadibus ad eundem Timagenem revocandas. Neque vero desunt inter excerpta Soliniana additamenta, quae quin Marcellinus ex suo ipsius ingenio hauserit dubium esse nequit quibusque similiter ac Rufiana Gellianaque polyhistoris placita amplificavit. An dubitas quin adnotatio de Mneuide tauro Soli sacrato (XXII 7), quae adiecta invenitur narrationi de Apide bove Solini-

---

1) in Hermae vol. XVI p. 631 not. 2.

2) ibid. p. 632; cf. p. 618 sqq.

anae (p. 142, 6—17), Ammiano ipsi tribuenda sit, quippe quem sciamus in Aegypto fuisse ibique multa vidisse?[1]) Porro pro explorato equidem habeo, quod relationi de Seribus (XXIII 6, 67. 68) ad verbum fere ex Solin. 182, 9—183, 2 translatae addit *caeli apud eos iucunda salubrisque temperies, aeris facies munda leniumque ventorum commodissimus flatus* suo ingenio excogitasse Ammianum.

Iam porro adcuratius tractemus nonnullos locos Melae Plinii Solini Ammiani quos ante omnes fulcire sententiam suam affirmat Mommsenus.

De Scythicis populis fabulosis quattuor scriptores produnt haec:

Plin. IV 88	Solin. p. 82, 5 sqq.	Amm. M. XXXI 2, 1
Neuroe apud quos Borysthenes	Apud Neuros nascitur Borysthenes flumen	Inter hos Neuri med terranea incolunt loc vicini verticibus celsi quos praeruptos gel que torpentes aqu lones adstringunt.
Mela II 14		
Neuris statum singulis tempus est, quo si velint in lupos, iterumque in eos qui fuere mutentur.	Neuri, ut accipimus, statis temporibus in lupos transfigurantur: deinde exacto spatio, quod huic sorti adtributum est, in pristinam faciem revertuntur.	
Mela II 15		
Mars omnium deus; ei pro simulacris enses et cinctoria dedicant, hominesque pro victumis feriunt.	populis istis deus Mars est: pro simulacris enses coluntur: homines victimas habent. ossibus adolent ignes focorum.	

---

[1]) Legas XXII 15, 1: *strictim itaque, quoniam tempus videtur hoc flagitare, res Aegyptiacae tangantur, quarum notitiam in actibus Hadriani et Severi principum digessimus late visaque pleraque narrantes.*

Mela II 14	Solin. l. c.	Amm. Marc. l. c.
Geloni hostium cutibus equos seque velant, illos reliqui corporis, se capitum.	Geloni ad hos proximant. de hostium cutibus et sibi indumenta faciunt et equis suis tegmina.	per quos Vidini sunt et Geloni perquam feri, qui detractis peremptorum hostium cutibus indumenta sibi, equisque tegmina conficiunt bellatoria.
Plin. IV 88 caeruleo capillo Agathrysi. Mela II 10 Agathrysi ora artusque pingunt, ut quique maioribus praestant, ita magis aut minus.	Gelonis Agathrysi conlimitantur, caerulo picti, fucatis in caerulum crinibus, nec hoc sine differentia: nam quanto quis anteit, tanto propensiore nota tingitur, ut sit indicium humilitatis minus pingi.	GelonisAgathyrsi conlimitant, interstincti colore caeruleo corpora simul et crines, et humiles quidem minutis atque raris, nobiles vero latis, fucatis et densioribus notis.
Mela II 14 apud Anthropophagos ipsae etiam epulae visceribus humanis apparantur. cf. Plin. VI 53: Anthropophagi Scythae insident humanis corporibus vescentes.	post Anthropophagi, quibus execrandi cibi sunt humana viscera:	XXXI 2, 15 post hos Melanchlaenas et Anthropophagos palari accepimus per diversa, humanis corporibus victitantes,
Plin. VI 53 ideo iuxta vastae solitudinis... deserta cum beluis, usque ad iugum incubans mari quod	quem morem impiae gentis adiacentium terrarum prodit tristissima solitudo, quas	quibus ob haec alimenta nefanda desertis finitimi omnes longa petiere terrarum.

Plin. l. c.	Solin. l. c.	Amm. Marc. l.
vocant Tabim. nec aute dimidiam ferme longitudinem eius orae, quae spectat aestivom orientem inhabitatur illa regio. primi sunt hominum qui noscantur Seres. . . .	ob nefarium ritum finitimae nationes profugae reliquerunt. ea causa est, ut usque ad mare quod Tabin vocant per longitudinem eius orae, quae aestivo orienti obiacet, sine homine terra sit et immensa deserta, quoad perveniatur ad Seras.	ideoque plaga or orienti aestivo obi usque dum venitu Seras, inhabita mansit.

Ex his commentis inter se conlatis intellegi dicit Mommsenus tam Ammianum quam Solinum explanationes petivisse ex commentario deperdito, qui Plinium Melamque iam ita fere exhibuerit contaminatos, ut appareant apud Solinum, eumque fere rerum ordinem constituerit, quem tam Ammianus quam Solinus sint secuti. Sed vereor ne cupidius quam verius iudicaverit vir egregius. Quidnam obstat quominus credamus Solinum, quippe qui omnibus in rebus conspiret cum Plinio Melaque atque quantum quidem ad res pertinet non plura his praebeat, ipsum singulas horum scriptorum paragraphos adiisse materiamque inde congestam in eum quem legimus ordinem redegisse? Nonnullis autem locis Solinum de eadem re ambos auctores consulentem videmus. Etenim quae legimus de Neuris apud compilatorem partim Plinio partim Melae debentur nec aliter Plinianae Pomponianaeque de Gelonis narrationes a Solino in unum corpus consarcinatae sunt. Denique id quod refert Plinius VI 53, iuxta Anthropophagos vastas esse solitudines, pluribus reddit Solinus, sed ita ut non possit non hausisse ex paragrapho Pliniana. Sed ut nostra disputatio ad Ammianum Marcellinum convertatur, huius enarrationes artissimo coniunctas esse vinculo cum Solinianis quin concedamus facere non possumus; nam

praeterquam quod Solinus Budinos[1]) et Melanchlaenas omittit et de Neuris plane aliter tradit atque Ammianus, ambo mire consentiunt non solum in rebus sed etiam in locutionibus, ita ut equidem non dubitem, quin Marcellinus, ubi ei convenit cum polyhistore, hunc expilaverit. Quod vero ex his discrepantiis conclusit Mommsenus Ammianum pendere ab auctore hodie deperdito Plinii et epitomatore et amplificatore, hoc praeoccupato iudicio statuisse mihi videtur. Neque enim intellego quare dubitet vir summus, quin Ammianus ipse Budinorum Melanchlaenarumque nominibus excerpta ex Solino facta ampliarit, seu illorum gentium notitiam Plinio Melaeque debuit[2]) hos scriptores ipse legens eorumve narrationes in memoriam revocans seu magnis itineribus per provincias orientales factis de his populis fama atque auditu accepit[3]). Neque vero inde, quod quae Solinus et Ammianus de Neuris produnt plane diversa sunt, conliges Marcellinum usum esse opere collectaneorum Solinianorum simillimo. Conatur enim Ammianus pro more suo illa adnotatione, quam neque Mela neque Plinius eiusque pedissequus exhibent, geographiae scientiam suam repraesentare (cf. supra p. 34 not. 1). Et Mommsenus ipse huic rei non multum tribuit atque quodammodo rectractat iudicium suum sic fere locutus: *Ich würde vielleicht jetzt, nachdem ich Ammians redactionelles*[4]) *Verfahren genauer untersucht habe, kein Gewicht*

---

[1]) Vidinos Ammiani intellegendos esse Budinos Mommsenus probabiliter coniecit in Herm. vol. XVI p. 634 not. 1.

[2]) Cf. Plin. IV 88; VI 15. Mel. II 14; I 116.

[3]) Sic omnia quae de aliis populis, ut de Gallis (XV 12,1—4), de Aegyptiis (XXII 16, 23), de Persis (XXIII 6, 75—84) refert, Ammianum de suo addidisse certum est, cum constet eum in iis quas incolunt illi populi regionibus versatum esse. Cf. Amm. Marc. XV 5,22; XVII 4,6; XXII 15,1; XVIII 6,20—23; XXIII 5,7; 6,21; 30.

[4]) Neque enim poterat fugere Mommsenum quam sequeretur Ammianus fontes exscribendi rationem; et breviter hanc tetigit vir doctissimus. Sic legimus de Scordiscis gente Thraciae apud Rufium et Marcellinum haec:

mehr darauf legen, dass er von den Neuren 31, 2, 14 wesentlich anders berichtet als Solinus.[1])

Restat ut narrationes de Nili fluminis admirabilibus Solinianas Ammianeasque contempler, quibus se recte posuisse apparere credit Mommsenus tam Ammianum quam Solinum pendere a chorographia illa Pliniana deperdita. Quonam autem vinculo Plinius Solinus Ammianus cohaereant (Plin. V 51 sqq.; Sol. XXXII 1—16; Amm. Marcell. XXII 15, 3—13) ut plenius cognoscamus, hanc ratiocinationis viam ingrediendam mihi esse censeo, ut quam adcuratissime singulas paragraphos inter se conferamus quaeramusque quid de Solinianorum et Ammianeorum commentorum origine sit iudicandum. Sed priusquam ad ipsam comparationem accedamus, eximendae sunt et eae paragraphi Ammianeae, quas Marcellinum de suo addidisse per se manifestum est, et eae, quas neque e Plinio neque e Solino eiusve auctore esse delibatas neminem fugere potest. Iam videamus singula.

Paragraphos 3—4 quas disputationi de Nilo perquam eruditae praemittit quibusque vulgaria exponit, sicuti

---

Fest. IX	Amm. Marcell. XXVII 4, 4
. . quod hostiis captivorum diis suis aliquando litaverint, atque sanguinem humanum in ossibus capitum potare sint soliti.	. . . hostiis captivorum Bellonae litantes et Marti, humanumque sanguinem in ossibus capitum cavis bibentes avidius . . .

Pro *diis* igitur Rufii praebet Ammianus *Bellonae et Marti* et narrat Scordiscos sanguinem in ossibus capitum cavis bibere avidius, Rufius autem simpliciter eos in ossibus capitum sanguinem humanum potare esse solitos. Optimo autem iure affirmat Mommsenus (in Herm. vol. XVI p. 607; cf. not. 2) ex his nihil sequi — Gardthausenus enim inde quod Ammianus pro Rufiano *diis* Bellonam et Martem nominat falso concluserat Marcellinum non potuisse haurire ex Rufio, sed ex fonte eius sua petivisse (l. c. p. 533) — et haec additamenta nemini nisi Ammiano ipsi esse tribuenda. Cf. praeterea Martinum Hertz in Hermae vol. VIII p. 278 = Opusc. Gell. p. 173 sq.

[1]) In Hermae vol. XVI p. 634 not. 1.

Nilum ab Homero Aegyptum appellari, se arbitrari origines fontium posteras quoque ignoraturas esse aetates, se opiniones geographorum veritati confines expediturum esse, quin ab Ammiano ipso compositae sint haud sane facile quisquam in dubitationem vocaverit. Sed aliter res se habet in § 5—7, ubi de causis cur Nilus intumescat disputatur. Iam vero quem ad auctorem explicationes in §§ 5 et 6 exhibitae recedant docte et egregie ostendit Alfredus Gercke[1]). Namque postquam Mommseni sententiam inter Ammianum et L. Annaeum Senecam chorographiam Plinianam intercedere pro falsa esse habendam et Marcellinum ipsum, id quod iam Valesius suspicatus est, Senecae opus inspexisse et exscripsisse exemplis luculentis demonstravit,[2]) apertissimo concentu inter hos duos scriptores intercedente commotus optime deduxit[3]) ad Senecae nat. quaest. IV 2, 1 et III 6, 2 quae inveniuntur apud Amm. XXII 15, 6: *imbres enim apud Aethiopas aut numquam aut per intervalla temporum longa cadere memorantur.* Valde autem dolendum est, quod ultimae paragraphi Senecae nat. quaest. libri quarti qui est de Nilo in libro archetypo perierunt. Neque vero desunt quibus haec lacuna expleatur. Placita enim de Nilo quae ab Ioanne Laurentio Lydo traduntur (de mens. IV 68 = p. 144, 11—146, 3 Wuensch) tam adcurate consentiunt cum Annaeanis in IVa 2 § 17 sqq. traditis, ut Gerckius[4]) Hermannum Diels[5]) secutus ea, quae a Lydo adduntur quaeque desunt post § 30, in nat. quaest. olim fuisse suo iure ponat. Attamen hac una in re Gerckio adstipulari non possum, quod Lydum

[1]) Seneca-Studien, annal. philol. suppl. XXII p. 101 sqq.

[2]) l. c. 99 sq.; qua in re expedienda in incerto relinquit vir doctus, num inter Ammianum et Solinum chorographia q. d. Mommsenus Pliniana sit inserenda.

[3]) l. c. p. 101.

[4]) l. c. p. 94 sqq.

[5]) Doxogr. Graec. p. 228, 3; Seneca und Lucan (ex actis maioribus acad. Berol. 1886) p. 6 not. 3.

ipsum Senecam legisse docet. Etenim Fridericus Bluhme[1]), qui nuper in investigandis Lydianis fontibus versatus est, Friderico Schultze[2]) et Georgio Müller[3]) assensus ex compilandi describendique ratione Lydiana prorsus probabiliter conclusit Laurentium totam de Nilo flumine explicationem accepisse a Chresto, quem ultimo loco laudat Lydus quemque verbotenus citat. Quod ideo parvi momenti est, quod et ea quae nos quoque legimus apud Senecam et ea quae iniquitate temporum perierunt Lydo a Chresto tradita esse apertum est. Lydi igitur auxilio Senecae paragraphorum deperditarum imaginem adumbrare licet. Atque Gerckius, ut ad rem revertamus, postquam quae leguntur apud Amm. §§ 5 et 6 neque e Plinio V 55 neque e Sol. XXXII 9 fluxisse recte docuit, hos locos Marcellini ad eundem scriptorem (i. e. Senecam), e quo verba § 6 a verbis *imbres enim* ad *cadere memorantur* petita esse certum est, libro Lydi adscito summa cum veritatis specie revocavit.

Praeterea paragrapho XXII 15, 9 ubi reperiuntur *unde Atos olim accolas usu aurium fragore adsiduo deminuto necessitas vertere solum ad quietiora coegit*[4]), Ammianum Senecae doctrinam secutum esse animadvertimus. Nam cum sciamus Ammianum ipsum Senecam legisse videamusque eandem rem iisdem fere verbis narrari apud Senec. IV 2, 5: *quem* (sc. *strepitum*) *perferre gens ibi a Persis collocata non potuit obtusis assiduo fragore auribus et ob hoc sedibus ad quietiora translatis*, manifestum est illum hunc exscripsisse[5]).

[1]) De Ioannis Laurentii Lydi libris περὶ μηνῶν observationum capita duo. Diss. Hal. 1906 p. 80.

[2]) Quaestionum Lydianarum part. prior. Diss. Gryphisw. 1862 p. 44.

[3]) De Senec. quaest. nat. Diss. Bonn. 1886 p. 17 et 26.

[4]) Cf. Plin. VI 181 . . . *Stadissim, ubi Nilus praecipitans se fragore auditum adcolis aufert*, quem huius narrationis Ammiani fontem fuisse veri dissimile est.

[5]) Cf. Gerckium l. c. p. 99.

Neque audiendus est Mommsenus qui, cum Seneca illius gentis mentionem non faciat, inter hunc et Marcellinum chorographiam Plinianam intercedere suspicatur[1]). Etenim proclivis est coniectura Ammianum, quippe quem constet in Aegypto fuisse, nomen Atorum auditu percepisse atque excerptis Annaeanis ultro adiecisse.

Quibus expeditis ut quonam vinculo Plinius Solinus Ammianus coniuncti sint perspiciatur, reliquam de Nilo commentationem Marcellini quaeque ei respondent tam apud Plinium quam apud Solinum universa subicere mihi liceat:

Amm. Marcell. XXII 15, 7	Plin. V 55	Solin. p. 140, 3 sqq.
opinio est celebrior alia, quod spirantibus prodomis, perque dies quadraginta et quinque etesiarum continuis flatibus repellentibus eius meatum, velocitate cohibita, superfusis fluctibus intumescit: et reluctante spiritu controverso adulescens in maius, hinc vi reverberante ventorum, inde urgente cursu venarum perennium, progrediens in sublime tegit omnia, et humo suppressa per supina camporum speciem exhibet maris.	etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussum	Ferunt alii, quod ventorum flatibus repercussus, cum fluorem solitae velocitatis non queat promovere, aquis in arto luctantibus intumescat: et quo inpensius controversi spiritus repugnaverint, eo excelsius sublimari in altitudinis vertices repercussam celeritatem, quando nec solitus extenuet cursus alveum et stipato iam flumine venis originalibus torrentium pondera superveniant: ita concurrente violentia hinc urgentis elementi hinc resistentis undis exultantibus molem colligi, quae excessus facit.

Quibus ex locis inter se conlatis adparet Plinium, utpote qui praebeat perpauca, solum auctorem Solini esse

[1]) In Hermae vol. XVI p. 632.

non potuisse; id quod non minus certum est quam quae praeter Pliniana legimus sane erudita non a Solino ipso ficta esse. Neque vero quicquam obstat quominus arbitremur Solinum ipsum additamenta ex alio petivisse auctore. Marcellinus autem, qui tam in verbis quam in rebus cum Solino conspirat, plura quam hic exhibet eo quod etesias et prodromos commemorat, si non respicimus ultima paragraphi verba, quae sunt vulgaria. Iam vero et prodromorum et etesiarum etiam Plin. II 123. 124 facit mentionem. Perflant autem hae Plinio auctore diebus triginta, qua de causa Marcellinum Plinium ante oculos habuisse veri parum simile est. Itaque tenendum est Ammianum usum esse aut Solino etesias prodromosque de suis adicientem (Pliniana fortasse memoriae lapsu detorquentem) aut auctore Soliniano. Quorum equidem illud praetulerim.

Amm. Marc. XXII 15,8	Plin. V 51	Solin. p. 138, 2
Rex autem Iuba Punicorum confisus textu librorum a monte quodam oriri eum exponit, qui situs in Mauritania despectat oceanum, hisque indiciis hoc proditum ait, quod pisces et herbae et beluae similes per eas paludes gignuntur.	originem, ut Iuba rex potuit exquirere, in monte inferioris Mauretaniae non procul oceano habet, lacu protinus stagnante quem vocant Niliden. Ibi pisces reperiuntur alabetae, coracini, siluri.	originem habet a mo inferioris Mauretaniae, Oceano propinquat. adfirmant Punici li hoc Iubam regem pimus tradidisse. ig protinus lacum efficit q Nilidem dicunt. Nilum tem iam inde esse co unt, quod hoc stag herbis piscibus bel nihil minus procreet q in Nilo videmus.

Neque necesse est statuere inter Plinium et Solinum Ammianumque intercedere auctorem neque habemus quare quin Marcellinus ipse inspexerit collectanea Soliniana dubitemus. Namque patet Punicos libros, quorum apud Plinium mentio non fit, non alios esse nisi Iubae regis

simul citatos.[1]) Atque si Solinus pro Plinianis *pisces alabetae coracini siluri* praebet *herbis piscibus beluis,* haec discrepantia tenuissima mea quidem sententia neutiquam potest arguere polyhistora non in manibus habuisse Plinium.

Amm. Marc. XXII 15,9	Plin. V 54	Solin. p. 139, 5 sqq.
Aethiopiae autem partes praetermeans Nilus nominum diversitate decursa, quae ei orbem peragranti nationes indidere complures, aestuans inundatione ditissima ad cataractas id est praeruptos scopulos venit, e quibus praecipitans ruit potius quam fluit.	novissimo catarracte inter occursantis scopulos non fluere immenso fragore queritur sed ruere.	Cum primum occursantibus scopulis asperatur, tantis agminibus extollitur inter obiecta rupium, ut ruere potius quam manare credatur: demumque a catarracte ultimo tutus est.

Solinum, quippe qui, quantum ad rem pertinet, non plura narret quam Plinius, adnotationem suam ex naturali historia petivisse iure statuas. Quod apud Ammianum initio paragraphi legimus, traxit e Plin. V 52. 53, ubi Nili nomina enumerantur Pliniana, universe generaliterque reddens. Nec video quid obstet quominus putemus verba ab *ad catarractas* ad *fluit* Ammianum hausisse ex Plin. V 54.

Amm. Marcell. XXII 15,10	Plin. V 54	Sol. p. 139, 10
exinde lenius means per ostia septem, quorum singula perpetuorum omnium usum et faciem	postea lenis et confractis aquis domitaque violentia, aliquid et spatio fessus, multis quamvis faucibus	mox inoffensus meat. septem ostiis conditur, in meridiem ver-

[1]) Cf. Mommsenum in ed. Sol. [2] p. XVI.

Amm. Marcell. l. c.

praebent, nullis per Aegyptum aquis externis adiutus eiectatur. et praeter amnis plurimos ex alveo derivatos auctore, cadentesque in suppares eius, septem navigabiles sunt et undosi, quibus subiecta vocabula veteres indiderunt: Heracleoticus, Sebennyticus, Bolbiticus, Pathmiticus, Mendesius, Taniticus et Pelusiacus.

Plin. l. c.

in Aegyptium mare se evomat.

Plin. V 64

Sunt in honore . . multa oppida, praecipue quae nomina ostiis dedere, . . . celeberrimis VII, proximo Alexandriae Canopico, dein Bolbitino, Sebennytico, Phatnitico, Mendesico, Tanitico, ultimoque Pelusiaco.

Sol. l. c.

sus excipitur
gyptio mari

Non est cur negemus Ammianum initium paragraphi sumpsisse ex ipso Solino. Quae sequuntur tam vulgaria tralaticiaque sunt, ut ea ullo ex scriptore manasse affirmare equidem nolim. Porro vix putaverim Marcellinum nomina Nili ostiorum debere Plinio. Certe ipse Nilum vidit ostiorumque nomina ipse cognovit. Quod Solinus exhibet nihil aliud est nisi doctrina Pliniana in brevius contracta.

Amm. Marc. XXII 15, 11. 12

oriens autem inde, ut dictum est, propellitur e paludibus ad usque cataractas insulasque efficit plures, quarum aliquae ita porrectis aquis dicuntur extentae ut singulas aegre tertio die relinquat. inter quas duae sunt clarae Meroe

Plin. V 53

insulas ita innumeras spargit, quasdamque tam vastae magnitudinis, quamquam rapida celeritate, ut tamen dierum V cursu non breviore travolet, circa clarissimam earum Meroen

Solin. p. 139, 1—

Multas magnasque
bit insulas: qua
pleraeque sunt tam
fusae et] vastae ma
tudinis, ut vix
dierum quinque c
praetermeet, quar
concitus ibi feratur.
bilissima earum
Meroe.

Cum Plinius et Solinus tam rebus quam verbis inter se consentiant, huius commentum si quis ex naturali historia oriundum esse contendat, me non habuerit obloquentem. Suspicor autem Ammianum, qui ab illis eo discrepat quod Nilum singulas insulas aegre tertio — non quinto — die relinquere narrat, re melius cognita relationes amborum correxisse.

Amm. Marc. XXII 15, 12

et Delta, a triquetrae litterae forma hoc vocabulo signatius appellata. cum autem sol per Cancri sidus coeperit vehi, augescens ad usque transitum eius in Libram, diebusque centum sublatius fluens minuitur postea et mitigatis ponderibus aquarum navibus antea pervios equitabiles campos ostendit.

Plin. V 48

findente Nilo ut triquetram terrae figuram efficiat. ideoque . . . Delta appellavere Aegyptum.

Plin. V 57

incipit crescere luna nova, quaecumque post solstitium est, sensim modiceque cancrum sole transeunte, abundantissime autem leonem, et residit in virgine iisdem quibus adcrevit modis. In totum autem revocatur intra ripas in libra ... centesimo die. Cum crescit, reges aut praefectos navigare eo nefas iudicatum est.

Sol. p. 141, 7 sqq.

non tamen sine certa legis disciplina, hoc est lunis coeptantibus: verum omnem abscessus originem de sole concipi primosque fieri excessus tumoris, cum per cancrum sol vehatur: postmodum triginta eius partibus evolutis, ubi ingressus leonem ortus sirios excitavit, emissis omnibus cumulis totam fluctuationem erumpere. quod tempus sacerdotes natalem mundi iudicaverunt, i. e. inter XIII K. Aug. et XI. deinde revocare exitus universos, cum in virginem transeat, penitusque intra ripas suas capere, cum libram sit ingressus.

Quos locos qui inter se contulerit, concedet Solinum praeter Plinium etiam alium auctorem consultasse. Ammianus autem initium paragraphi Plinio ipsi debere videtur. Immutavit vero ille huius adnotationem ita, ut nomine Delta significaret eam partem Aegypti, quam omnes sic adpellare solent.[1]) Reliqua e Plinio et Solino temere contaminavit.

Amm. Marc. XXII 15, 13

abunde itaque luxurians ita est noxius, ut infructuosus, si venerit parcior: gurgitum enim nimietate umectans diutius terras culturas moratur agrorum, parvitate autem minatur steriles segetes. eumque nemo aliquando extolli cubitis altius sedecim possessor optavit. et si inciderit moderatius, aliquotiens iactae sementes in liquore pinguis cespitis cum augmento fere septuagesimo renascuntur. Solusque fluminum auras nullas inspirat.

Plin. V 58

Iustum incrementum est cubitorum XVI. minores aquae non omnia rigant, ampliores detinent tardius recedendo. Hae serendi tempora absumunt solo madente, illae non dant sitiente.
Idem amnis unus omnium nullas exspirat auras.

Sol. p. 141, 15

hoc etiam add
paritereumnoc
sive abundan
exaestuet sive p
cius:cumexigu
minimum adpo
fecunditatis,
pensior copia
turno umore
turam more
maximos eius
tus cubitis duod
ginti consurg
iustissimos se
cim temperari

142, 1. 2

. . solus ex ar
bus nullas
piret auras.

Procul dubio Solinus non consuluit Plinium solum. Ammianum autem collectanea Soliniana ante oculos habuisse e verborum concentu concludimus. Quod praeter Soliniana nobiscum communicat Marcellinus sementes cum augmento fere septuagesimo renasci certe de suo adiecit.

1) Ceterum videas de hac re infra p. 61 sq.

Iam ut ad finem veniamus, adcuratius contemplabimur etiam alium locum, unde confirmari ait Mommsenus in Ammianeis Solinianisque eiusdem libri duas epitomas superesse inter se diversas respiciens ea quae de margaritis in conchis reperiri solitis tres produnt enarratores (Plin. IX 107—116; Amm. Marcell. XXIII 6, 85—88; Solin. LIII 23 28). Nolo exscribere omnes eas quae in censum veniunt paragraphos, quas compositas invenis apud Mommsenum p. XXI et XXII, sed hoc unum affirmo, his locis adcuratissime inter se comparatis me ne unam quidem adnotationem repperisse quam non potuerit Solinus haurire ex verbis Plinianis, partim pluribus Pliniana reddens, partim in brevius contrahens. Conferas quaeso

Sol. p. 199, 14—18 a verbis *conchae sunt* ad *gravidaeque fiunt*
cum Plin. IX 107 a verbis *has* (sc. *conchas*) *ubi* ad *conceptu tradunt.*
Sol. p. 199, 18. 19 a verbis *de saginae* ad *unionum*
cum Plin. l. c. a verbis *gravidas postea* ad *accepti.*
Sol. p. 200, 2 a verbis *ita magis* ad *habent*
cum Plin. l. c. a verbis *conceptum ex eo* ad *maris*

aliaque unde idem adsequaris. Iis autem quae leguntur apud Sol. p. 199, 17. 18: *cum maxime liquitur lunaris imber, oscitatione quadam hauriunt umorem cupitum* adscribenda sunt praeter Plin. IX 107 haec (Plin. IX 18): *lunaeque effectu concharum quoque corpora augescentia.*

Nec aliter res se habet de Ammiano, quem nusquam quantum quidem ad res pertinet plura praebentem Plinio Solinoque videmus. Atque cum Ammianus propius accedat ad Soliniana quam ad Pliniana, eum collectanea polyhistoris ante oculos habuisse consentaneum est.

Cum iis quae de unionibus (XXIII 6, 85) inveniuntur: *exindeque gravidulae edunt minutas binas aut ternas vel uniones ideo sic appellatas quod evisceratae conchulae singulas aliquotiens pariunt sed maiores;* haec Pliniana

Solinianaque quae desideramus apud Mommsenum comparanda sunt:

Plin. IX 112: *nulli duo reperiantur indiscreti, unde nomen unionum;*

Solin. p. 200, 13. 14: *numquam duo simul reperiuntur: inde unionibus nomen datum.*

Ut multis aliis locis, quos supra vidimus, ita hic quoque relationes auctoris sui suis additamentis amplificavit Marcellinus. Nam e. g. facile de suo addere potuit ea quae plura Solino exhibet perquam vulgaria:

Amm. Marcell. XXIII, 6, 87	Solin. p. 200, 14—16
capturas autem difficiles et periculosas et amplitudines pretiorum illa efficit ratio quod frequentari sueta litora propter p i s c a n t i u m i n s i d i a s declinantes, u t quidam coniciunt, circa devios s c o p u l o s et m a r i n o r u m canum receptaculos d e l i t e s c u n t.	p i s c a n t i u m i n s i d i a s timent conchae unde est, u t aut inter s c o p u l o s aut inter m a r i n o s c a n e s plurimum d e l i t e s c a n t.

Praeterea compares velim haec:

Amm. Marcell. XXIII 6, 86	Solin. p. 200, 2—4
idque indicium est aetheria potius derivatione, quam saginis pelagi hos oriri fetus et vesci, quod guttae matutini roris isdem infusae claros efficiunt lapillos et teretes, vespertini vero flexuosos contra et rutilos et maculosos interdum.	ita magis de caelo quam de mari partus habent: denique quotiens excipiunt matutini aëris semen, fit clarior margarita, quotiens vespere, fit obscurior . . .

Quis est qui non coniciat Ammianum, quippe quem sciamus in Perside fuisse (cf. XXIII 5, 7; 6, 21; 30), hoc genus gemmae — de Persicis enim Indicisque margaritis agitur — ipsum vidisse fandove de eo accepisse?

Etiam argumentum quo usus chorographiae q. d. Plinianae aetatem definisse sibi visus est Mommsenus corruere protinus monstrabo.

Affirmat vir egregius hanc chorographiam Plinianam quam breviasse dicitur Solinus conscriptam esse non ante Hadrianum, cum inter auctores quos laudet scholasticus inveniatur Granius Licinianus bis citatus, nomine Granii p. 41, 7, Liciniani p. 34, 14. Deprehensa enim esse in Liciniani reliquiis Londiniensibus certa aetatis aut Hadrianeae aut Hadriano posterioris indicia, maxime Olympiei quod fuerit Athenis ab Hadriano absoluti significationem non obscuram. Rectissime definit vir doctissimus aetatem Liciniani, rectissime docet diversos esse Granios Licinianum et Flaccum. Ergo ex his ait esse conligendum Plinianam chorographiam quam in compendium redegerit Solinus conditam esse saeculo secundo imperante Hadriano aut Antonino Pio. Cuius chorographiae auctorem si quidem nomine laudetur a Solino non posse esse nisi ipsum Licinianum. Sed ipse vir summus huic coniecturae non multum tribuit. Neque enim ullam fuisse causam, cur nomen poneret. *Eodem iure et fortasse meliore conicias chorographiam illam alteram deperditam una cum Pomponiana ab auctore huius libri adhibitam ad Plinium augendum fuisse Liciniani, utpote qui in reliquiis eius operis praeter Varronem solus citetur.*[1]) *sed de ea quoque coniectura dicendum erit non satis apparere, cur Solinus, qui nec Melam nec ipsum Plinium usquam verbo memoret, alterius operis chorographici auctorem enuntiare debuerit nec tales rationes, quales de Boccho*[2]) *supra attulimus, praesto esse de Liciniano.* Iam vero primum minime certum est Licinianum a Solino laudari; deinde si citetur, inde de aetate qua auctor Solinianus opus suum condiderit prorsus nihil concludi potest; tum Granius p. 41, 7 nominatus idem esse potest atque

---

[1]) Illum Licinianum a Mommseno sine iusta causa p. XV inter auctores operis chorographici alterius, quo usus esse dicitur auctor collectaneorum rerum memorabilium, recensitum esse supra monstravi (p. 9 sq.).

[2]) De quo infra agemus.

Granius Flaccus, Iulii Caesaris aequalis, a Censorino de die nat. III 2; Paul. Dig. L 16, 144; Macrob. I 18, 4; Fest. p. 277 citatus.

Sed videamus quid rei sit et contemplemur ea quae in censum veniunt verba Solini quaeque iis respondent apud Plinium:

Sol. p. 34, 14—35, 1	Plin. III 99
Liciniano placet a Messapo Graeco Messapiae datam originem, versam postmodum in nomen Calabriae, quam in exordio Oenotri frater Peucetius Peucetiam nominaverat[1]).	Abest CXXXVI a Lacinio promunturio adversam ei Calabriam in paeninsulam emittens. Graeci Messapiam a duce appellavere et antea Peucetiam a Peucetio Oenotri fratre in Sallentino agro.

Fluctuant vero in nomine adferendo codices Soliniani et de discrepantiis adnotat Mommsenus haec: *liciniano* II (L^2 MGBP, *liciano* L^1), *luciniano* I (RC^b NA, *lutiniano* S, *luciano* C^a, *lucinio* H). Sed cum Solinus eandem rem iisdem fere verbis narret atque Plinius, Licinianus autem nusquam citatus inveniatur in naturali historia — id quod sane ob temporum rationem fieri non potuit — contra persaepe atque etiam inter auctores tertii libri, in quo illam de Messapiae nomine narratiunculam legimus, Licinius Mucianus laudetur[2]), quem opus quod inprimis egit de rebus geographicis et historicis condidisse loci quibus a Plinio testis adfertur satis superque docent, Hermannus Peter apud Solinum quoque hunc esse intellegendum Licinium Mucianum coniecit[3]) et aut *Licinio* scribendum

---

[1]) Sic Mommsenus putat esse scribendum.

[2]) Modo simplici Muciani nomine appellatur, veluti II 231; III 59; VIII 6; XVI 214; XIII 88; XIX 12; XXVIII 29; XXXIV 36; XIV 54 et in auctorum indice librorum II; VIII; IX; X; XI; XII; XIII; XVI; XIX; modo Licinii Muciani, ut XII 9; V 83 et in auctor. ind. libr. III; IV; V; VI; VII.

[3]) Vet. hist. Rom. reliq. I p. CCCLII.

esse aut *Licini*[*o Muci*]*ano*. Hanc scripturam (*Licini*[*o Muci*]*ano* dico) ideo fortasse probabiliorem esse ait ille vir doctus, quod quorundam codicum lectionibus *luciniano* vel *lutiniano* vel *lucinio* commendetur. Quae coniectura mihi quidem valde adridet. Sed cuiuscunque auctoris testimonium Solinum advocasse putas, pro explorato habendum est simile nomen cum vocabulo *placet* coniunctum derivatum esse ex ipsis Plinianis verbis temere detortis ac confusis. Pro more suo neglegenter auctorem suum legit Solinus aut non recte intellexit et ex Plinianis *Lacinio promunturio* procudit seu *Licinio placet* seu *Licinio Muciano placet* seu *Liciniano placet*.[1]) Ceteroquin Plinio et Solino adcurate inter se conlatis a nobis infra ostendetur, quam neglegentem et socordem in transferendis eorum quos in fontibus suis reppererat auctorum nominibus se praebuerit Solinus, neque quicquam certi posse conligi ex scriptoribus a Solino laudatis de auctore eius.

Totum igitur evanescit etiam hoc argumentum, quo Mommsenus aetatem definivisse sibi visus est chorographi Pliniani, quem sibi finxit auctorem Solini.

Quibus rebus expositis hanc disquisitionem ad finem perductam esse censeo atque spero me satis ostendisse sententiam Mommsenianam de chorographia Pliniana fonte Solini Ammianique omnibus fere viris doctis adhuc probatam prorsus esse relinquendam. Itaque hoc probe tenendum est Plinium Melamque a Solino ipso inspectos atque exscriptos esse. Simul autem cognovimus Ammianum Marcellinum et naturalem historiam Plinianam et collectanea rerum memorabilium Soliniana expilasse.

§ 2.

Qua quaestione absoluta convertamus nos ad alteram de fontibus collectaneorum rerum memorabilium sententiam

---

[1]) Conferas quaeso D. Detlefsen, Die Beschreibung Italiens in der Naturalis Historia des Plinius und ihre Quellen. Lipsiae 1901 p. 47.

pernoscendam. Theodoro enim Mommsen adversarius exstitit C. M. Columba[1]). Etsi autem totam opinionem Mommsenianam pro falsa habendam esse existimo, tamen mihi persuasi cum argumenta quibus usus virum summum impugnat Columba nihil efficere tum quam ipse profert sententiam de fontibus a Solino adhibitis omni carere specie veritatis. Ac profecto obscurasse potius rem haud sane facile expediendam quam inlustrasse mihi videtur. Atque primum quidem commemoraverim etiam Columbam illa verba Solini quae sola quandam praebent ansam et a quibus mea opinione omnes, qui fontes polyhistoris indagaturi sunt, proficiscantur necesse est, plane neglexisse. Sed audiamus quod iudicium ferat Columba de opinatione Mommseniana[2]): *Tuttavolta, la teoria del Mommsen non dà una soluzione alle molteplici difficoltà, a cui la ricerca delle fonti di Solino, pur semplice come sembra, si trova incontro. Stando a questa teoria, Solino — od il corografo pliniano, secondo il caso — avrebbe fatto un meraviglioso lavoro di musaico, nel quale riesce già faticoso di seguirlo a noi, col comodo formato dei nostri libri e cogl' indici di cui son provveduti. . . . . Plinio al principio della sua corografia ha fatto una dichiarazione: egli ha detto III 1, 2: „locorum nuda nomina et quanta dabitur brevitate ponentur claritate causisque dilatis in suas partes": ed è facile constatare in molti luoghi questo lavoro di scomposizione fatto da Plinio, il quale ha separato dalla sua corografia le notizie di carattere polihistorico, che ivi si trovavano, e le ha distribuite in quei capitoli della sua opera in cui si trattava dell'argomento relativo. Solino così ed il corografo pliniano avrebbero fatto un lavoro inverso, un lavoro di paziente ricomposizione, — almeno, per quella parte di notizie che Plinio può aver tolte dalla fonte corografica — ed avrebbero*

---

[1]) Rassegna di antichità classica. vol. I 1896: Le fonti di Giulio Solino.

[2]) l. c. p. 11 sq.

infine approssimativamente ricostituita, senz' accorgersi, questa fonte o queste fonti corografiche pliniane, con qualche cosa in più o qualche cosa in meno.

Quod ut exemplo inlustret, advocat Columba Solin. p. 192, 3—10 (LII 46—48). Quo loco agit polyhistor de arboribus Indicis. Iam vero si rata esset sententia Mommseniana, Solinum vel chorographum Plinianum res, quas venditaret, ex tribus libris Plinianis (sc. ex VII, XII, XVI) — hic eadem iisdem fere verbis narrantur — deprompturum fuisse; quod cogitari non posse ait Columba. Quae opinio nequaquam assensum meum fert nec video cur dubitemus quin Solinus (vel ut vult Mommsenus auctor Solini) ita conscripserit libellum suum, ut ex variis variorum librorum capitibus relationes hauserit et in unum conflaverit. Num difficile est sic opus condere?[1]) Atque hanc exscribendi rationem Solino tribuere eo minus equidem vereor, quo magis eam comparo cum aliis illorum saeculorum saeculorumve posteriorum compilatoribus, qui persaepe materiam ex diversis diversorum scriptorum libris delibaverunt atque ita, ut quae huic quae illi tribuenda sunt auctori vix unquam possint probe discerni atque eximi: unum nominasse sufficiat Isidorum illum Hispalensem episcopum, qui, quae lectoribus proponere in animo habuit, modo hinc modo illinc excerpsit atque in uno eodemque enuntiato complurium conglutinavit sententias eoque modo musivum quoddam opus condidit lapillos ubique interponens; id quod nullum caput, quin etiam nulla paragraphus non demonstrat. Cuius haud

[1]) Rectissime Fridericus Muenzer (Wochenschrift für klass. Philol. 1901 p. 544) optimo iure impugnans Antoninum Romano (Osservazioni Pliniane: Rassegna di antichità classica, Panormi 1900), qui Columbae sententias secutus idem argumentum protulit, iudicat: *Ich kann diese Arbeit kaum für viel mühsamer und anstrengender halten als etwa die Anfertigung eines alphabetischen Registers zu einem Buche, die als Handlangerarbeit betrachtet zu werden pflegt.* De hac Romani dissertatione infra uberius agemus.

sane facile quemquam dissimiliorem dicas quam Solinum. Nihil igitur illo argumento effecit Columba. Sed ait vir doctus etiam alia de causa Plinium non esse putandum fontem Solini.

Iam compares hos locos Solini et Plinii:

Solin. c. LII 46—48 (= p. 192, 3—10)	Plin. VII 21
Indorum nemora in tam proceram sublimantur excelsitatem, ut transiaci ne sagittis quidem possint.	Arbores quidem tantae proceritatis traduntur, ut sagittis superiaci nequeant.
	Plin. XII 22. 23
pomaria ficus habent, quarum codices in orbem spatio sexaginta passuum extuberantur: ramorum umbrae ambitu bina stadia consumunt: foliorum latitudo formae Amazonicae peltae comparatur: pomum eximiae suavitatis.	ficus ibi eximia pomo . . . superiores eiusdem rami in excelsum emicant . . ., vasto matris corpore, ut sexaginta passuus pleraeque orbe colligant, umbra vero bina stadia operiant. foliorum latitudo peltae effigiem Amazonicae habet.
	Plin. XVI 162
quae palustria sunt, harundinem creant ita crassam, ut fissis internodiis lembi vice vectitet navigantes.	navigiorumque etiam vicem praestant, si credimus, singula internodia. cf. Plin. VII 21; Mel. III 62.
	Plin. XII 32
e radicibus eius umor dulcis exprimitur ad melleam suavitatem.	Saccharon et Arabia fert, sed laudatius India. est autem mel in harundinibus collectum . . .

Quos ad locos adnotat Columba: posse putari verbum *ambitu* quod non exstat apud Plinium esse derivatum ex

Plinianis *bina stadia*. Minime vero intellegi, unde habeat Solinus adnotationem illam harundinem crassam in palustribus crescere locis, vel alteram ex radicibus eius umorem dulcem exprimi ad melleam suavitatem. Mommsenum fontem verborum ultimorum nominare Plin. XII 32; *ma Plinio parla in maniera diversa e di tutt' altra cosa*. Iam vero harum adnotationum, quae absint a Plinio, inveniri alteram apud Diodor. II 36, 5: *αἱ κατὰ τοὺς ἑλώδεις τόπους φυόμεναι ῥίζαι διάφοροι ταῖς γλυκύτησιν οὖσαι . . . καὶ τὰς ἐν τοῖς ἕλεσι ῥίζας ἕψοντος τοῦ καύματος, καὶ μάλιστα τῶν μεγάλων καλάμων*; alteram apud Strabonem XV 693: *καὶ τὰς ῥίζας τῶν φυτῶν καὶ μάλιστα τῶν μεγάλων καλάμων, γλυκείας καὶ φύσει καὶ ἑψήσει . . .* Itaque omnes quattuor enarratores ad unum eundemque recedere auctorem. Nescio quo pacto hoc affirmare potuerit Columba. Nam inde quod Solinus addit Plinianis *quae palustria sunt* nihil sequitur, etiamsi ab auctoribus quamvis multis eadem iisdem fere verbis narrentur. Etenim harundinem in talibus locis crescere tam consentaneum est, ut hoc facile ex suo ipsius ingenio petere potuisse Solinum quivis opinor concedat. Deinde quod ad verba *e radicibus eius umor dulcis exprimitur ad melleam suavitatem* pertinet, equidem minime comprehendo, quo iure contendat Columba Plinium loco a Mommseno adscripto dicere de re omnino diversa. Nam ex eo quod nomen umoris dulcis apud Solinum non reperitur atque Plinius non commemorat hunc umorem e radicibus exprimi, prorsus non potest conligi illum hoc non esse usum. Quid enim potuit facilius polyhistori in mentem venire, praesertim cum Plinius in XVI 162. 163 paulo antea a Solino inspectus de radice harundinis verba fecerit?

Hanc viam disquirendi ingreditur vir doctus. Maxima cum diligentia pervestigat locos aliorum auctorum e. g. Strabonis, Taciti, Senecae, Vitruvii, Augustini multorumque aliorum, quibus in rebus perquam minutis, quas facile de suo addere potuit polyhistor, et in verbis pervulgatis Solinus magis conspirat cum illis scriptoribus quam cum

Plinio, cum hic eadem aut non habeat aut aliis verbis referat. Quibus observationibus Columba eo ducitur, ut tam Solinum Pliniumque quam unumquemque scriptorum quos nominavi ad unum eundemque revocet fontem. Qui quis secundum Columbam fuerit, postea videamus. Longum nimirum est omnes locos adferre atque recensere, quibus sententiam suam stabilire studet Columba. Sed ne me temere iudicare putes, nonnullos perscruter necesse est, qui quam praepropere sua posuerit ille vir doctus tibi dilucide monstrent.

In Strongyle insula Liparensi describenda Plinius Solinusque adeo inter se concinunt, ut equidem non dubitem quin hic illum ante oculos habuerit:

Plin. III 94	Solin. p. 54, 14—18
Tertia Strongyle a Lipara . . .[1] m. p. ad exortum solis vergens, in qua regnavit Aeolus, quae a Lipara liquidiore tantum flamma differt, a cuius fumo quinam flaturi sint venti in triduum praedicere incolae traduntur, unde ventos Aeolo paruisse existimatum.	Strongyle tertia, Aeoli domus, vergitur ad exortus solis minime angulosa, quae flammis liquidioribus differt a ceteris. haec causa efficit, quod ex eius fumo potissimum incolae persentiscunt quinam flatus in triduo pertendant: quo factum, ut Aeolus rex ventorum crederetur.

Contra aliter sentit Columba. Habere enim Solinum additamentum *minime angulosa.* Quod — et hac in re adstipulor viro docto — non potuisse manare ex ipsis Plinianis. Similia autem reperiri apud Strabonem VI 276: *ἡ δὲ Στρογγύλη καλεῖται μὲν ἀπὸ τοῦ σχήματος, ἔστι δὲ καὶ αὐτὴ διάπυρος, βίᾳ μὲν φλογὸς λειπομένη τῷ δὲ φέγγει πλεονεκτοῦσα· ἐνταῦθα δὲ τὸν Αἴολον οἰκῆσαί φασι.* Itaque cum et Solinus et Strabo de forma rotunda referant insulae hos, a quibus seiungi nequeat Plinius, ex uno eodemque hausisse auctore

---

[1]) Hic lacuna agnoscenda est.

Columba sibi persuasit. Quod opinor vir doctus non contendisset, si eam qua Solinus fuit indolem respexisset. Etenim ut polyhistor nomina auctorum ad doctrinam suam ostentandam avide in libro cumulavit[1]), sic haud ita raro animadvertitur eum excerpta ex Plinio Melave facta suis additamentis auxisse nullo alio consilio nisi ut suam linguae Graecae scientiam ostentaret. An est quisquam qui putet Solinum propter ea quae leguntur p. 105, 11. 12 quaeque adiecta sunt meris excerptis Plinianis *nam Oceanus, quem Graii sic nominant de celeritate*[2]) aliquem librum inspexisse? Nec aliter iudicandum est de Sol. p. 77, 11. 12, ubi de incolis Acrothoi, urbis in summo Athone sitae, quorum aetatem dimidio longiorem quam in aliis terris prorogari comperimus — eadem fere verba legimus apud Mel. II 32 —, adiecta inveniuntur Pomponianis haec *ideo inde homines macrobios Graeci, nostri appellavere longaevos.* Conferas quaeso praeterea Sol. p. 49, 2. 3 et Plin. III 86, ubi Solinus nobiscum communicat Regium a dehiscendi argumento *Ῥήγιον* Graecos dictitasse, Plinianis vocabulum *Ῥήγιον* Graecis litteris exaratum addens. Haec taliaque qui secum reputaverit, mihi concedet additamentum *minime angulosa* fictum esse a Solino ipso, qui certe scivit vocabulum *στρογγύλος* Latine significare *rotundus* atque insulam Strongyle a forma rotunda appellatam esse: non potuit haec non adnotare ut lectores cognoscerent Graecae linguae eum fuisse gnarum.

Sed contemplemur alios locos quibus nescio quid comprobare conatus est Columba.

Plinius nomine Deltae designat primum totam Aegyptum, ut procul dubio ex verbis eius elucet V 48 *Inferiorem*

---

[1]) De hac re infra dicetur.

[2]) Cf. Etymolog. magn. p. 821, 18 sqq.: *Ὠκεανός: παρὰ τὸ ὠκέως ἀνύττειν ὁ οὐρανὸς νενόμισται· ἢ παρὰ τὸ ὠκέωςνάειν· ἢ παρὰ τὸ ὠκὺς καὶ τὸ ἀνύω, ὁ ταχέως φέρων.*

eius (sc. *Aegypti*) *partem Nilus dextera laevaque divisus amplexu suo determinat . . . Quam ob causam inter insulas quidam Aegyptum retulere, ita se findente Nilo ut triquetram terrae figuram efficiat. ideoque multi Graecae litterae vocabulo Delta appellavere Aegyptum*; deinde eam partem, quam nos quoque sic appellamus, id quod monstrant haec III 121 *His se Padus miscet ac per haec effunditur, plerisque, ut in Aegypto Nilus quod vocant Delta, triquetram figuram inter Alpes atque oram maris facere proditus, stadiorum* $\overline{V}$ *circuitu*; tum ut Herodotus Strabo aliique locum ipsum, ubi Nilus diffinditur (Herod. II 17 τὸ ὀξὺ τοῦ Δέλτα; Strabo XVII 789. 803. 805 ἡ κορυφὴ τοῦ Δέλτα), ut cognoscis ex his V 50 *Arsinoitae duo sunt. hi et Memphites usque ad summum Delta perveniunt: . . . Inde* $\overline{LXII}$ *p. abest Memphis . . . ad scissuram autem Nili, quod appellavimus Delta,* $\overline{XV}$. Solinus igitur Plinium legens harum explicationum eam elegit, quae memoratu digna ac quam praetermittere incuriosum videbatur, et hanc lectori praebuit p. 137, 19 sqq. *interiorem eius partem Nilus circumfluit, qui scissus a loco, cui Delta nomen est, ad insulae faciem spatia amplectitur interamna.* ac debebat Mommsenus huic loco Solini praeter Plin. V 48 adscribere Plin. V 50. 59. Itaque equidem non scio quid expedire velit Columba his verbis usus[1]): *Solino ci ha conservato dunque una notizia che a Plinio manca; ed io non so se non si debba considerare come un accenno a questa notizia mancante. la frase usata dalla stesso Plinio in seguito (V 50): „scissuram Nili quod appellavimus Delta"; poichè, per la definizione da lui data del Delta, non sarebbe esatta che l'altra frase, da lui parimenti adoperata in seguito (50) Nili fissura, unde appellari diximus Delta.* Strabo et alias et eam significationem exhibet, quam tam Solinus quam Plinius praebent XVII 788: γέγονε δὴ νῆσος ἔκ τε τῆς θαλάττης καὶ τῶν ῥευμάτων ἀμφοῖν τοῦ ποταμοῦ, καὶ καλεῖται Δέλτα διὰ τὴν ὁμοιότητα τοῦ σχήματος· τὸ δ' ἐπὶ τῇ κορυφῇ

1) l. c. p. 19.

χωρίον ὁμωνύμως κέκληται διὰ τὸ ἀρχὴν εἶναι τοῦ λεχθέντος σχήματος, καὶ ἡ κώμη δὲ ἡ ἐπ' αὐτῷ καλεῖται Δέλτα. Quid inde probatur? Num ex eo efficitur Solinum non ante oculos habuisse naturalem historiam, sed et polyhistora et Plinium et Strabonem unum eundemque exscripsisse scriptorem?

Sed pergamus ad reliqua. Solinum sincerius atque melius quam Plinium nobis servasse fragmentum Varronis arguere studet Columba his locis:

Plin. VII 85	Solin. p. 25, 16—19
Idem (sc. Cicero) fuisse qui pervideret $\overline{\text{CXXXV}}$ passuum. huic et nomen M. Varro reddit, Strabonem vocatum; solitum autem Punico bello a Lilybaeo Siciliae promunturio exeunte classe e Carthaginis portu etiam numerum navium dicere.	Visu deinde plurimum potuit Strabo nomine, quem superspexisse per centum triginta quinque milia passuum Varro significat, solitumque exeunte a Carthagine classe Punica numerum navium manifestissime ex Lilybitana specula notare.

Inveniri enim apud Solinum *specula* quod vocabulum Plinius non habeat. Exhibere autem idem Strabonem VI 267: *ἔστι δὲ καὶ ἀπὸ Λιλυβαίου τοὐλάχιστον διάρμα ἐπὶ Λιβύην χίλιοι καὶ πεντακόσιοι περὶ Καρχηδόνα· καθ' ὃ δὴ λέγεταί τις τῶν ὀξυδορκούντων ἀπό τινος σκοπῆς ἀπαγγέλλειν τὸν ἀριθμὸν τῶν ἀναγομένων ἐκ Καρχηδόνος σκαφῶν τοῖς ἐν Λιλυβαίῳ.* Ex his concludit Columba haec[1]): *Le parole ex Lilybitana specula si trovavano dunque nella tradizione, e perciò è necessità pensare che il frammento varroniano è arrivato a Solino attraverso altra fonte che non Plinio; e questa assoluta eguaglianza di forma tra i due scrittori non dimostra se non che Plinio lo ha ricevuto da quella stessa fonte, da cui discende in Solino.* Quid loquar de hac argumentatione? An potest quisquam dubitare quin casu

[1]) l. c. p. 21.

accciderit, ut pro Pliniano *a Lilybaeo promunturio*, quod idem valet atque *ex Lilybitana specula*, hoc poneret Solinus, qui ceteroquin adcurate cum Plinio conspirat, atque in illo uno verbo proprius accederet ad Strabonem?

Atque Columbam, ut demonstraret quod demonstrare cupivit, in investigandis locis aliorum auctorum cum Solinianis fortuito conspirantibus iusto longius processisse, tibi monstrat hoc exemplum. In Britannicis insulis describendis Solinus p. 101, 11—102, 3 tradit haec . . . *e quibus Thyle ultima, in qua aestivo solstitio sole de cancri sidere faciente transitum nox nulla: brumali solstitio perinde nullus dies. ultra Thylen accipimus pigrum et concretum mare.* Haec sine dubio, ut equidem opinor, hausit Solinus e Plin. IV 104, ubi eadem iisdem fere verbis narrantur: *Ultima omnium quae memorantur Tyle, in qua solstitio nullas esse noctes indicavimus, cancri signum sole transeunte, nullosque contra per brumam dies. . . . A Tyle . . . mare concretum a nonnullis Cronium appellatur.* Id secus se habere docet Columba. Etenim etiam Tacitum exhibere vocabulum *pigrum* quod absit a Plinio: Tac. Germ. 45 *Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope inmotum*; cf. Agric. 10.[1]) Sed ut cognoscas qualis sit argumentatio Columbae rursus eius verba adscribam[2]): *Questa corrispondenza di denominazione tra Solino e Tacito da una parte, Solino e Plinio dall' altra, non permette altra spiegazione probabile se non questa: che i tre scrittori ci riproducano qui una notizia che appartiene ad una stessa fonte, nella quale era data cosi come la troviamo*

[1]) De illo mari pigro et concreto (vid. Strabonem II 104 qui e Polybio Pytheam testem advocante refert: . . . *καὶ τὰ περὶ τῆς Θούλης καὶ τῶν τόπων ἐκείνων, ἐν οἷς οὔτε γῆ καθ' αὑτὴν ὑπῆρχεν ἔτι οὔτε θάλαττα οὔτ' ἀήρ, ἀλλὰ σύγκριμά τι ἐκ τούτων πλεύμονι θαλαττίῳ ἐοικός* etc.) inspicias commentariolum elegantissimum a Friderico Kaehler compositum Forschungen zu Pytheas' Nordlandsreisen, Halis Sax. 1903.

[2]) l. c. p. 33.

in Solino: senonchè, Tacito riprodusse la parola pigrum e interpretò la parola concretum con inmotum; Plinio trascurò la prima voce, e riprodusse solamente la seconda. Has nugas esse nemo puto non fatebitur. Nam quis est qui credat, si in nostris litteris duo scriptores, qui ceterum nullo vinculo inter se coniuncti sunt, de una eademque re narrantes uno duobusve pervulgatis verbis inter se concinunt, hos ex eodem fonte hausisse.[1] Omnia huius generis percensere, quibus tam Solinum quam Plinium et alios scriptores ad unum eundemque recedere auctorem evincere molitus est Columba, nec prodest nec iuvat, cum usquequaque res similiter se habeat.

Quoniam quid de hac parte commentarioli Columbae indicandum sit exposuimus, nunc necesse est praestringamus quae de ratione, quae inter Solinum et Plinium Melamque intercedat, enucleasse sibi visus est. Maximam inter Plinium Melamque non rerum tantummodo sed etiam verborum esse similitudinem viros doctos non potuit fallere. Quaestio autem satis perplexa et iam a compluribus instituta, quali vinculo hi duo scriptores inter se coniuncti sint[2], cum hoc loco retractari nequeat, obiter tantum commemoraverim inter omnes adhuc constare Plinium Melamque quatenus inter eos exstant similitudines ad unum eundemque redire auctorem. Nec uberius in hanc rem inquisivit Columba; sed ad Solinum se convertens affirmat non semper recte Mommsenum adscripsisse locis Solinianis eos qui illis respondeant Melae Pliniique;

---

[1]) Egregie exponere mihi videtur Carolus Hosius (de imitatione scriptorum Romanorum inprimis Lucani, Gryphisvaldiae 1907), quam falsum sit atque ab omni ratione abhorreat inde, quod aliqui scriptores in verbis pervulgatis et omnibus notis forte inter se consentiunt, conicere hos aliquo cognationis vinculo inter se cohaerere.

[2]) Nuperrime de hac re copiose egit Alfredus Klotz, Quaestiones Plinianae geographicae (Quellen und Forschungen zur alten Geschichte und Geographie, herausgeg. von W. Sieglin. Heft 11 Berolini 1906) p. 48—88.

quin etiam haud ita raro auctoris ignoti notam appositam reperiri locis qui eadem praebeant atque Plinius Melave. Quam observationem re adcurate examinata non possum non amplecti. Loci autem de quibus agitur et Mommseni et Columbae erroribus sublatis sunt hi:

De catoblepa: Sol. XXX 22 (= p. 134, 8—10) respondet Plin. III 77 (cf. Mel. III 98); de monstruosis populis qui sunt in ultimis Orientis: Sol. XXX 12-14 (= p. 132, 6—12) ex Mel. III 91 et Plin. VI 187; de Arimaspis: Sol. XV 22—23 (= p. 86, 13—18) ex Mel. II 1 et Plin. VII 10; de formicis ad canis formam maximis: Sol. XXX 23 (= p. 134, 10—13) respondet Mel. III 62 (cf. Plin. XI 111); de Trogodytis[1]: Sol. XXXI 3 (= p. 137, 2—3. 6—7) ex Plin. V 45 et Mel. I 44; de Augilis: Sol. XXXI 4 (= p. 137, 7—10) ex Mel. I 46 et Plin. V 45; quae de Garamantum venere legimus Sol. XXX 2. 3 (= p. 130, 11—17) utrum e Mel. I 45 an ex Plin. V 45 fluxerint diiudicari nequit; fortasse utrumque ante oculos habuit scholasticus; de Aegipanibus: Sol. XXXI 5. 6 (= p. 137, 12—14) respondet Plin. V 46 (cf. Mel. I 48); de Himantopodibus et Pharusis: Sol. XXXI 6 (= p. 137, 14—17) respondet Mel. III 103 (cf. Plin. V 45); de Arimphaeis: Sol. XVII 1—3 (= p. 90, 1—6) respondet Plin. VI 35 et Mel. I 117; de Atlantibus: Sol. XXXI 2 (= p. 136, 17—137, 2) ex Plin. V 45 et Mel. I 43.[2]

Quos locos qui inter se contulerit reperiet non paucos, ubi Solinus de aliqua re referens reddit Pliniana admixtis nonnullis eorum quae de eadem re similia exhibet Mela; illae autem similitudines quae sunt inter Melam Pliniumque ad communem auctorem referendae sunt. Iam de Solino iudicat Columba sic[3]): *Così l'opera di Solino ci*

[1]) De ea quae inter huius gentis earumque, quae sequuntur interiora Africae tenentes, descriptiones apud Plinium Melamque intercedit ratione egit E. Schweder in Philolog. vol. XLVII 1889 p. 636—643. Cuius errorem tollit Klotzius l. c. p. 153 sqq.

[2]) Alios locos quibus in uno verbo pervulgato Solinus propius accedit ad Melam quam ad Plinium enumerare supersedeo.

[3]) l. c. p. 29.

rappresenta un lavoro che non può trovare la sua spiegazione se non quando sia ricondotto, in ultimo, a quella stessa opera da cui derivò la parte comune alle corografie di Mela e di Plinio, con la polistoria che ad esse è legata. Sed quis concedet viro docto nullam nisi eam quam ipse praebet explicationem in promptu esse? Nam etsi fieri potuit, ut Solinus ad has narrationes componendas eum quem tam Plinius quam Mela exscripserunt scriptorem adhiberet, tamen eodem iure et, ut equidem mihi persuasi, meliore affirmaveris volvisse scholasticum quae adhuc habemus Plinii Melaeque volumina eorumque relationes contaminasse. Ac sunt quae hoc suadeant. Nam primum quidem hoc probe tenendum est Melam in manibus fuisse Solini; insunt enim in collectaneis rerum memorabilium mera excerpta Pomponiana quae narrationes praebent quarum similia non invenis in tota naturali historia. Sic e. g. res se habet cum iis quae de cubili Typhonis gigantis, cuius ne nominis quidem usquam mentionem facit Plinius, et de admirabilibus Corycii specus referuntur apud Solinum p. 162, 10—163, 4 procul dubio redeuntem ad Melam I 72—76; porro quae scholasticus fabulatur de causis, cur Oceanus intumescat vel quatenus, cum superfluus sibi fuerit, rursus in se residat (p. 107, 5—19) nemini nisi Melae (III 2) debet. Neque usquam similia exstant apud Plinium. Hausit igitur haec Pomponius ex alio fonte non ex eo, qui persaepe ei communis est cum Plinio, atque Melae vestigia pressit Solinus. An tu existimas hunc sua delibasse non ex Mela, quocum apertissime conexus est, sed ex fonte Melae quisquis fuit?

Iam vero si proba esset opinio Columbae, exspectaremus iis locis, ubi contaminationes animadvertimus factas ex Plinio Melaque de eadem re narrantibus, quorum modo hic modo ille plus exhibet, nobis unam obviam fieri adnotationem, quam nec Mela nec Plinius praebet; id quod numquam usu venit. Loci enim duo quos adfert Columba minime id ostendunt, quod eos ostendere vult. Nam si ad

ea quae de Hypane flumine Scythiae Europaeae leguntur· apud Plinium (IV 88) Melamque (II 7) adiecta inveniuntur apud Solinum p. 81, 16 hoc flumen primo purum et haustu saluberrimum esse, haec polyhistora facile ex suo ipsius ingenio petere potuisse patet. Quod eum ideo addidisse apparet, ut paulo plenius quam Mela[1]), auctor suus, exprimeret quam dissimilis esset inferioris fluminis partis aqua eius, quam Hypanis postea haberet. Hoc additamentum non id est, quod non possit profectum esse a Solinis. Nec magis ex illo loco quam ex Sol. p. 35, 1. 2 cum Mel. II 69. 70 et Plin. III 61. 71 conlato efficitur Solinum inspexisse non chorographiam Pomponianam, sed Melae Pliniique fontem. Praeterea a ratione compilandi Soliniana nequaquam abhorret relationes quas de una eademque re duo praebent scriptores in unum corpus consarcinare. Nam qui Plinium ita compilavit, ut persaepe narratiunculas, quae de una eademque re agebant quasque in variis variorum librorum naturalis historiae capitibus vel paragraphis inveniebat, ex his diversis capitibus vel paragraphis corraderet atque in unum conflaret[2]), eundem eodem modo ea, quae consimilia de una eademque re ei duo scriptores praebebant, congessisse atque in unum corpus consarcinasse et hos scriptores hoc modo coniunctos usurpasse nemo puto mirabitur.

Sed vereor ne nimius fuisse videar in refellendis Columbae suspicionibus. Iam si placet conferamus nos ad fontem ipsum pernoscendum, quem a Solino expilatum esse Columba sibi persuasit. Nempe argumentatione sua, qua nihil eum profecisse me satis ostendisse spero, haec adsecutus esse sibi visus est vir doctus: Plinium, Solinum,

---

[1]) Legas apud Melam l. c.: *Hypanis . . . diu qualis natus est defluit. tandem non longe a mari ex parvo fonte cui Exampaeo cognomen est adeo amaras aquas accipit, ut ipse quoque iam sui dissimilis et non dulcis hinc defluat.*

[2]) Qua de re infra dicetur.

Melam, Ammianum Marcellinum aliosque scriptores, qui in verbis pervulgatis rebusque prorsus tralaticiis cum polyhistore concinerent, veluti Tacitum, Senecam, Vitruvium, Iosephum, Strabonem al., exscripsisse chorographiam uberrimam. Qua aetate hoc opus ambitus amplissimi conditum sit et quis auctor eius fuerit, non posse comperiri. Hoc unum constare hanc encyclopaediam ante Plinium conscriptam esse et continuisse multa Varroniana[1]) Sallustianaque[2]), id quod ex ipsis collectaneis Solinianis, in quibus vestigia doctrinae illorum luculenta adpareant, certo conligatur. At haec de encyclopaedia antepliniana fonte omnium scriptorum nominatorum opinio, praeterquam quod argumentis nititur infirmissimis aut potius nullis, duobus causis minime infringendis ab omni parte redarguitur. Plinius enim ipse adseverat ne unum quidem et ex Graecis et ex Romanis tale opus conscripsisse quale ipse composuerit, ut dilucide cognoscis ex his verbis praef. 14: *Praeterea iter est non trita auctoribus via nec qua peregrinari animus expetat. nemo apud nos qui idem temptaverit, nemo apud Graecos qui unus omnia ea tractaverit.* Et quid est quod haec verba in dubitationem vocemus? Etiam hoc animadvertendum est eundem Plinium presse praedicare se arbitrari benignum et plenum ingenui pudoris esse fateri per quos quis profecerit, non ut plerique ex iis quos attigerit fecerint[3]). An vero putas illum encyclopaediae anteplinianae auctorem, quem fontem Plinii Columba sibi finxit, a Plinio consulto dissimulatum atque sollerti cura obtectum esse? Ne minima quidem causa est, cur fidem non habeamus Plinio. Haec duo argumenta

---

1) Ad haec infra redibimus.

2) Sallustium citat Solinus nomine Crispi p. 46. 4. De Sallustianis apud Solinum servatis cf. Maurenbrecher, C. Sallusti Crispi Historiarum reliquiae fasc. II Lips. 1893 p. 59 sqq. Ceterum Sallustium a Solino ipso inspectum non esse concedes, cum alterum caput huius dissertationis legeris.

3) Praef. 21.

satis sunt, ut Columbae opinio funditus evertatur. Quam ut procul abiciamus, suadet etiam aliud. Nam sane mirum est opus, quod tot res easque nequaquam spernendas continuisse et a multis auctoribus gravissimis expilatum esse dicitur, a nullo scriptore nec Graeco nec Romano nominari: numquam exstitit nisi in mente Columbae. Videte porro haec: nolo rursus verba Soliniana, quae supra interpretatus sum, unde efficitur polyhistora nonnullos auctores adiisse neque despoliavisse encyclopaediam quandam, in argumento ponere, sed facere non possum quin hoc commemorem Columbam ipsum non posse non concedere etiam naturalem historiam in manibus fuisse Solini atque ex Plinio ipso scholasticum si non pleraque tamen haud ita pauca traxisse: *Solino si è servito direttamente di Plinio, specie nella parte polistorica, ma in misura molto minore di quella che ci è data dalla stessa corrispondenza verbale tra sue opera e l'enciclopedia pliniana*[1]). Neque vero Columba neque is qui eius opinationem causis fulcire frustra studet, Antoninum Romanum dico[2]), illa respexerunt argumenta, quae modo protuli quibusque, quae Columba pro certo posuit, clare evidenterque refelluntur.

Perinde atque Columba semel et iterum praedicat Romano nullo pacto posse cogitari Solinum vel chorographum Plinianum sic, ut vult Mommsenus, libellum suum composuisse. Quae res ut apertior sit affert Sol. p. 87, 1 sqq., ubi de smaragdis Scythicis agitur. Mommseniana igitur sententia si rata esset, Solinum vel chorographum Plinianum doctrinam suam delibaturum fuisse ex novem paragraphis eiusdem libri naturalis historiae (sc.

[1]) l. c. p. 43.

[2]) Osservazioni Pliniane (Rassegna di antichità classica 1899), Panormi 1900. Ceterum conferantur quas ediderunt Fridericus Muenzer (Wochenschrift für klassische Philologie 1901 p. 542 sqq.) et Detlef Detlefsen (Berliner philolog. Wochenschrift 1901 p. 170 sqq.) commentarioli Romani censurae. Illis viris doctis Romani opiniones iure meritoque improbantur.

ex XXXVII 62—65. 68. 71—74). Hoc minime esse credibile. Iam singula videamus et ut plenius cognoscamus num re vera id, quod tribuit Mommsenus Solino Solinive auctori, difficile sit confectu, a. p. 87, 1—5, qui locus ad Plin. XXXVII 62. 65. 71—73 redit, proficiscamur. In smaragdis describendis Plinius nihil antiquius habet quam ut nobilitatem Scythici laudet sic locutus XXXVII 65: *nobilissimi Scythici ab ea gente in qua reperiuntur appellati nullis maior austeritas nec minus viti. quantum smaragdi a gemmis distant tantum Scythicus a ceteris smaragdis. proxumum laudem habent sicut et sedem Bactriani . . . sed hos minores multo Scythicis esse tradunt.* Tertium locum ait habere Aegyptios. Iam deinceps verba facit de nonnullis aliis plus minusve pretiosis, veluti de Cypriis (§§ 66—68), Aethiopicis (§ 69), Medicis (§ 71), Calchedoniis (§ 72) aliisque. Solinus igitur, qui omnes has paragraphos perlegit, ut quodcumque dignum memoratu esset in collectanea sua reciperet, ultimos non dignos fuisse putavit quos uberius describeret; sed primum ordinem Scythicos tenere adseverat omnia in unum enuntiatum contrahens et sic disserens: *nam licet sint et Aegyptii et Calchedonii et Medici et Laconici, praecipuus est honos Scythicis.* Et pergit in eodem versu: *nihil his iucundius, nihil utilius vident oculi. in primis virent ultra aquaticum gramen, ultra amnicas herbas.* Quid ergo? Solinum sic fontem suum expilasse incredibile est? Nec video, quid hac in re sit difficile. Omnes fere reliquae paragraphi secundum ordinem exscriptae sunt: Plin. XXXVII 63. 64 = Sol. p. 87, 5—13; Plin. XXXVII 65 = Sol. p. 87, 13—16; sequitur breve excerptum factum ex Plin. XXXVII 74 = Sol. p. 87, 16; Plin. XXXVII 68 = Sol. p. 87, 17—18; Plin. XXXVII 71 = Sol. p. 87, 18—88, 1; praecedunt verba duo ex Plin. XXXVII 65 hausta = Sol. p. 87, 18; Plin. XXXVII 119 = Sol. p. 88, 1—4.

Sed etiam alia de causa fieri non posse, ut Solinus pendeat a Plinio. Dicere enim hunc XXXVII 62: *tertia*

auctoritas smaragdis perhibetur multis de causis, quibus apud Solinum respondeant haec (p. 87, l. 2): *smaragdis hic locus patria est, quibus tertiam inter lapides dignitatem Theophrastus dedit.* Eo igitur quod Solinus pro Pliniano *perhibetur* testimonium advocat Theophrasti probari Plinium non exscriptum esse a polyhistore, sed tam hunc quam illum expilasse communem auctorem qui nunc non exstet. Quae opinatio nullius opinor feret assensum qui rem attente inspexerit. Mommsenus ad hunc locum adnotaverat (ed.[2] Sol. p. XVI) *non magnam fidem habebimus Solino .... Theophrastum citanti de ea re quam nec dixit is nec facile dicere potuit.* Ac sane in proclivi est explicare quomodo factum sit, ut Theophrastum testem attulerit Solinus. Plinius enim ipse in XXXVII 74 a Solino expilata (cf. Sol. p. 87, 16) Theophrastum de permagno smaragdo Aegyptiorum regi a rege Babylonio muneri misso et de aliis smaragdis memorabilibus testantem inducit: *Theophrastus tradit in Aegyptiorum commentaris reperiri regi eorum a rege Babylonio muneri missum smaragdum .....* Atque etiam hoc animadvertendum est eundem Plinium eodem in libro qui est de gemmis quinquies praeterea citare eundem auctorem, XXXVII 33. 53. 74 sqq. 97. 193; porro exstat nomen eiusdem Pliniani auctoris in indice auctorum libri XXXVII. Itaque omnibus numeris probabile est, ne dicam certum, Solinum nomen Theophrasti, utpote quod tam in libro XXXVII legerit — conferas Sol. p. 40, 16 et Plin. XXXVII 53; Sol. p. 87, 16 et Plin. XXXVII 74 — quam in indice auctorum eiusdem libri, temerario illo quo solet modo[1]) neque ulla alia re commotum nisi ut magnae prae se ferret speciem lectionis adlegasse de aliqua re, de qua apud Plinium adlegatum non invenerat. Ultro igitur corruit argumentum quo se demonstrare sua credit Romanus. Atque eandem viam quaerendi ingreditur hic quam iam ante ingressus erat

[1]) Quod infra videbis.

Columba. Nam ille quoque componit locos Solinianos, qui in rebus verbisque perquam vulgatis cum locis aliorum scriptorum conspirant, et disquisitionem ad hunc finem perducit, ut tam Solinum quam Plinium illosque auctores a tali opere quale opinatus est Columba, chorographiam anteplinianam dico, pendere doceat. Neque facere possum, quin uno exemplo hanc Romani argumentationem inlustrem. De lacus Agrigentini oleo Plinius Solinusque referunt haec:

Sol. p. 52, 16—18	Plin. XXXV 179
In lacu Agrigentino oleum supernatat: hoc pingue haeret harundinum comis de assiduo volutabro, e quarum capillamentis legitur unguentum medicum contra armentarios morbos.	Gignitur et pingue oleique liquoris in Sicilia, Agragentino fonte, inficiens rivum. incolae id harundinum paniculis colligunt citissime sic adhaerescens, utunturque eo . . . . ad scabiem iumentorum.

Utriusque commenti explicationes cum adcurate inter se conspirent, quis est qui dubitet, quin Plinius auctor fuerit Solini. Contra aliter sentit Romanus. Solinum enim non a Plinio pendere inde ait intellegi quod hic non habeat vocabulum *supernatat*. Sed exhibere hoc Dioscuridem I 73 (= vol. I p. 72, 17—18 Wellmann): γίνεται δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀκραγαντίνων χώραν τῆς Σικελίας ὑγρὸν ἐπινηχόμενον ταῖς κρήναις etc. Quod cum ita sit, omnes tres enarratores haec petivisse ex opere deperdito sc. chorographia antepliniana. Sed nemo cautus opinor dubitabit, quin, cum consentaneum sit oleum aquae supernatare, nulla alia re nisi casu acciderit, ut Solinus hac in re omnibus nota consentiat cum Dioscuride.

Ex viris doctis nostratibus sicuti Columbae strenue oblocuti sunt viri de Plinio insigniter meriti Fridericus Muenzer et Detlef Detlefsen, ita unum adsentientem habuit Maximilianum Rabenhorst, qui definire posse sibi

visus est illud opus ante Plinium conditum, quod fons fuerit et Solini et Plinii et multorum aliorum scriptorum, contendens illum fontem fuisse Verrii Flacci libros rerum memoria dignarum deperditos.[1] Sed ne uno quidem argumento opinionem suam, quae nulla probabilitatis specie commendatur, firmavit neque unquam firmabit. Atque illos Verrii Flacci libros qui nunc non exstant a Solino expilatos esse ut statuat, eo ducitur, quod Plinium illud opus exscripsisse se demonstrasse putat.[2] Quae de Verrio Flacco auctore Plinii opinio, quibus argumentis infirmissimis nitatur et quam procul abicienda sit, clare evidenterque exposuerunt et Muenzerus[3] et Detlefsenus[4], quam ob rem supervacaneum esse existimo uberius de hac suspicione cui nihil favet disputare. Atque totam quaestionem plane turbasse neque quicquam profecisse Rabenhorstium, qui eandem sententiam denuo fulcire nuper frustra conatus est[5], argumentis quae ille protulit adcuratissime perlustratis optimo iure, ut equidem censeo, monstravit Alfredus Klotz.[6] Audiamus autem eum ipsum: *Es ist nicht nötig, auf die* ***Scheinbeweise*** *einzugehen, die er durch den Nachweis von Zeitangaben nach catonischer Ära zu bieten glaubt oder auf die Argumente aus der Beurteilung des Pompeius, Antonius, Tiberius, die von Rabenhorst teilweise geradezu* ***verdreht*** *werden.* Nec melius res se habet de iis, quae opinionis suae de Plinio Verrii Flacci sectatore confirmandae causa nuperrime in argumento posuit[7], ut rectissime docet

[1]) In Philolog. N. S. XIX (1906) p. 590 not. 54.

[2]) Quellenstudien zur Naturalis historia des Plinius. Teil I. Die Zeitangaben varronischer und capitolinischer Aera in der Nat. hist. Diss. Berol. 1905.

[3]) Wochenschrift für klass. Philolog. 1905 p. 977 sqq.

[4]) Berliner philolog. Wochenschrift 1905 p. 1271 sqq.

[5]) Philol. N. S. XIX (1906) p. 567 sqq.

[6]) Die Arbeitsweise des älteren Plinius und die indices auctorum, in Herm. vol. XLII p. 323 sqq.

[7]) Der ältere Plinius als Epitomator des Verrius Flaccus. Eine Quellenanalyse d. siebenten Buches d. Naturgeschichte. Berolini 1907.

Detlefsenus[1]. Sed ad hunc commentarium Rabenhorstii nos ipsi infra redibimus.

Haec sunt quae de fontibus vel potius de fonte collectaneorum rerum memorabilium Solinianorum indagasse sibi visi sunt viri docti. Equidem autem sic censeo, si praeter Plinium Melamque de auctoribus exquisitis, quos se in usum vocasse Solinus ipse profitetur, unus duove aetatem tulissent, futurum fuisse, ut a nemine chorographia quaedam vel postpliniana vel antepliniana, ut ita dicam, statueretur fons Solini. Et spero me satis demonstrasse disquisitionem de polyhistoris auctoribus satis perplexam ea qua illi viri docti progressi sunt ratione atque via numquam ad iustum finem posse perduci neque aut hanc aut illam opinationem de opere collectaneis Solinianis uberiore maioreque fonte polyhistoris ulla commendari probabilitate, quin etiam omnes has sententias plane esse reiectaneas. Ne minima quidem causa est quod quin Solinus ipse Plinium Melamque inspexerit dubitemus, et praeter eos parvum librorum numerum auctorem adhibuisse epistulae dedicatoriae verba *exquisitis enim aliquot voluminibus studuisse me inpendio fateor* clare indicant.

Quisquis autem de fontibus alicuius scriptoris non sine fructu examen instituere in animo habet, ei ab anquirendo quamnam in unisersum ille scriptor in citandis adhibendisque auctoribus sequatur rationem et consuetudinem initium capiendum est, ut quam potest firmissimum toti quaestioni fundamentum subiciatur. Quam ob causam antea hanc disquirendi viam mihi munio primumque me converto ad citandi rationem Solinianam contemplandam.

---

[1]) Berliner philolog. Wochenschrift 1908 p. 265 sqq.

Caput II.

§ 1.

Magnum numerum auctorum a Solino citari quisquis collectanea rerum memorabilium oculis percurret, iam primo obtutu cognoscet. Namque gaudet Solinus pro more plerorumque similis indolis scriptorum multitudine auctorum citatorum eorumque nomina avide in libro suo cumulat, ut testibus productis vera se afferre et fabulosa falsaque a certis indubiisque separare ostendat[1]). Atque re vera si omnes quos laudat auctores in libello suo componendo in usum vocasset[2]), summa laude dignus esset.

[1]) Omnino frequenter studet Solinus speciem viri veritatis amantissimi prae se ferre, id quod monstrant haec taliaque verba: *ut vetustas fabulata est* p. 37, 3; *sicut perhibent qui prodige lingua largiti sunt* p. 72, 5; *veri enim periculum non ad me recipio* p. 99, 4; *qui volunt credunt* p. 163, 4: *sed ne quid videamur dicendi licentia contra fidem adrogasse* p. 174, 14. 15: *lascivienti famae creditur* p. 186, 9. 10; *sed cum probissimi auctores et satis vero idonei sententias pares faciant, nullus falsum reformidet* p. 88, 16. 17; *fama prodiga est* p. 67, 1. 2; *qui fidem ad verum ratiocinati sunt aestimarunt* p. 100, 14 – 101, 1; *de hortis Hesperidum et pervigili dracone, ne famae licentia vulneretur fides, ratio haec est* p. 108, 9—11; *nec in obscuro est plura pro ingeniis disserentium potius quam pro veritatis fide expressa* p. 107, 6—8; *scripta quoque ex antiquitate memorias accersunt in fidem veri* p. 22, 5. 6. Sic ad testimonia poetarum, quos testes minimi eum facere conligi potest ex verbis *incensa est licentia poetarum* (p. 59, 15), numquam fere provocat, praeterquam quod semel Vergilium laudare eum iuvat dicentem Mediae arborem inclaruisse etiam Mantuanis carminibus p. 178, 1 (Georg. II 126).

[2]) Omnes auctores a Solino laudatos enumeratos invenis in ed.[2] Mommseni p. 237.

In ratione autem citandi Soliniana contemplanda id maxime nobis emolumento est, quod duo quasi principales auctores, e quibus doctrinam suam Solinus hausit, C. Plinium Secundum dico et Pomponium Melam, aetatem tulerunt, qua re in primariis usus Soliniani legibus enarrandis nos iis quas ad hos scriptores redire patet partibus collectaneorum inniti consentaneum est. Et ad rem propositam explicandam hanc viam ingrediendam nobis esse puto, ut quam adcuratissime Solinum cum Plinio Melaque in comparationem vocemus inquiramusque primum, quemadmodum auctores adhuc superstites citet, deinde quomodo in testibus ad rem quandam probandam producendis fontes suos sequatur.

Ac primum monuerim Plinii Melaeque nomina, quos multis locis exscripsit polyhistor, ne semel quidem toto in libello Soliniano occurrere; sed iis quae Solinus compilavit capitibus cum ipsis Solinianis comparatis adparet certa citandi ratione nequaquam caruisse epitomatorem, id quod exemplis paucis, sed si fieri potest luculentis inlustrabo: p. 83, 9 docet Solinus ex Plin. VIII 149 Alexandro Indiam petenti a rege Albaniae duos canes esse missos, quorum alter sues sibi et ursos oblatos usque eo sprevisset, ut offensus degeneri praeda ignavo similis diu accubaret; quem per ignorantiam quasi inertem Alexandrum interfici imperavisse. Quae enarratio unde ducta sit, compilator non commemorat nihil aliud addens nisi *legimus*. Neque aliter res se habet p. 95, 10, ubi ad verbum fere e Plin. VIII 119 refert quosdam homines omnibus diebus matutinis cervinam carnem degustare solitos sine febribus longaevos fuisse, quibus verbis auctoris nomine omisso rursus adicit *legimus*. Cf. praeterea Plin. VII 34 et Sol. p. 12, 21. Nonnumquam vero, ut ea quae nobis praebet in aliquo scriptore (i. e. Plinio Melave) se legisse fateatur, utitur his *accepimus* p. 28, 1 (= Plin. VII 90) vel *accipimus* p. 138, 4 (= Plin. V 51); p. 89, 1 (= Plin. IV 89); p. 82, 7 (= Mela II 14); p. 102, 2. 3 (= Plin. IV 104) aut *discimus* p. 125, 6. 7 (= Plin. V 28). Plerumque autem in iis qui procul dubio

ad Plinium Melamque recedunt locis hanc citandi consuetudinem eum adhibentem videmus, ut pro nomine auctoris dicat in universum sic *ferunt* p. 57, 14 (Plin. IV 19) vel *perhibent* p. 160, 9 (Plin. XXXVII 181) vel *tradunt* p. 68, 9 (Mela II 28) vel *autumant* p. 74, 10 (Plin. IV 65) aut *negant* p. 78, 14 (Plin. IX 22) p. 200, 14 (Plin. IX 116) vel alia id genus, ut *adfirmant* p. 134, 17 (Plin. VIII 124); p. 137, 1 (Plin. V 45) *adseverant* p. 192, 15 (Plin. XII 26) aut *putant* p. 88, 10 (Plin. XXXVII 23) vel *quod non frustra inter miracula notaverunt* p. 77, 4 (Plin. IV 73) aut *hoc etiam addunt* p. 141, 15 (Plin. V 58); porro ea quae Plin. V 58 de inundatione Nili exponit minimum incrementum fuisse cubitorum quinque Pharsalico bello, veluti necem Pompei Magni prodigio quodam flumine aversante, reddit Solinus haec verba usurpans p. 141, 20 sqq. *dant illi* (sc. *Nilo*) *etiam hoc maiestatis, ut portendat futura, quandoquidem Pharsalico bello non fuerit egressus quinque ulnas.*

Atque eum providere, ne relationum suarum origo deprehendatur, dilucide demonstrant hi loci inter se conlati:

Plin. IX 117	Solin. p. 201, 1—3
Lolliam Paulinam, quae fuit Gai principis matrona, . . . vidi smaragdis margaritisque opertam, . . . — summa quadringenties sestertium colligebat — . . .	Lolliam Paulinam Gaii principis coniugem vulgatum est habuisse tunicam ex margaritis sestertio tunc quadringentis aestimatam.

Plin. VI 49	Solin. p. 180, 14. 15
Demodamas, Seleuci et Antiochi regum dux, quem maxime sequimur in his, . . .	verum Demodamas dux Seleuci et Antiochi, satis vero idoneus auctor, . . .

Plin. VI 51	Solin. p. 181, 5—7
nec in alia parte maior auctorum inconstantia, credo propter innumeras vagasque gentes.	post quos, immanissimis barbaris interiacentibus, de ritu aliarum nationum paene inconstanter definitum advertimus.

Idem in alios locos cadere intelleges, si comparabis Solin. p. 194, 2 sqq. cum Plin. XXXVII 59. 60; Solin. p. 194, 12. 13 cum Plin. XXXVII 103; Solin. p. 24, 2 cum. Plin. VII 76; Solin. p. 107, 17—19 cum Mela III 2.

Nec minus luculenter cognoscimus nonnullis ex aliis locis Solinum quantum potest abscondere studuisse, quo ex auctore id quod in medio ponat deprompserit. Saepe enim Plinius, postquam miram aliquam rem, quam ex scriptore quem citat delibavit, enarravit, paucis exponit, quid ipse hac de re iudicet. Solinus vero et miram illam rem et nomen auctoris ex Plinio transfert, sed ne uno quidem verbo mentionem facit sententiae ipsius Plinii. Sic quae Theophrastus de lyncurio lapide disserit, ea tota falsa esse se arbitrari Plin. XXXVII 53 presse dicit. Quam sententiam Plinianam Solinus (p. 41, 2 sqq.), quippe qui nihil antiquius habeat quam ut dissimulet unde vere narrationem arripuerit, silentio praeterit Theophrasti tantummodo nomen opinionemque prodens. Eiusdem generis exemplum edit Solinus p. 124, 1 sqq., ubi Plin. XXXVII1 65 exscribens narrat heliotropium gemmam eum a quocumque gestetur subtrahere visibus obviorum, nullo modo rationem habens opinionis auctoris sui qui gravissimis verbis usus hoc placitum a magis prolatum impugnat repudiatque. Praeterea haec conferas quaeso, unde non minus patescit Solinum quomodo Plinius de aliqua re ab aliis narrata iudicaverit omnino non curasse: Solin. p 135, 9—12 et Plin. X 136; Solin. p. 139, 12 sqq. et Plin. V 55; Solin. p. 151, 5. 6 et Plin. X 5; Solin. p. 186, 10. 11 et Plin. VI 80; Solin. p. 201, 6 et Plin. IX 123; Solin. p. 40, 8 et Plin. VIII 82. 83.

Licet vero Solinus auctoris mentionem consulto omittat, tamen nihil obstat quominus, quasi sit homo proprii iudicii, tecte castiget Plinium eiusve relationem in dubitationem vocet. Ita, ut exemplum adlegem, p. 72, 5 Cretam descripturus adfirmat eam insulam non esse stipatam centum urbibus, sicut perhibeant qui prodige lingua largiti sint; quae verba ad Plin. IV 58 pertinere apertum est. Atque iis quae Plinius de Britannorum humanis hostiis tradit (XXX 13) quaeque Solinus compilat (p. 99, 3—5), addit idem haec *ut aiunt* (*veri enim periculum non ad me recipio*). Praeterea conferas velim Plin. XXXVII 23 et Solin. p. 88, 10. 11.

Quibus rebus expositis iam adparebit Solinum in collectaneis condendis id potissimum egisse, ut quantum quidem ad fontes ab ipso compilatos attinet auctorum nomina dissimularet. Idem vero in reliquas quoque libelli Soliniani partes valere, quae proficiscuntur ex scriptoribus deperditis quarumque ambitus multo minor est quam earum, quae ex Plinio Melaque haustae sunt, etsi non plane certum, tamen admodum probabile est, ita ut summa cum veritatis specie concludere possimus compilatorem usquequaque veram narrationum suarum originem sollerti cura silere atque obtegere molitum esse. Quae cum ita sint, Solinum non uno ex omnibus auctoribus quos nominatim laudavit in conscribendo opere suo usum esse affirmari posse autumo. Hac autem in ratione citandi plane dissimilis est eius cui plurima debet, C. Plinii, qui non modo perlegendis excerpendisque omnibus fere quos laudat scriptoribus studiosissime doctrinam quam profert ipse conlegit, verum etiam fontes suos quam potest adcuratissime adnotat ratus esse benignum et plenum ingenui pudoris fateri, per quos quis profecerit. Quae qui probe expenderit, haud sane facile dubitabit, quin Solinus omnes scriptores, quorum notitiam prae se fert quorumque magnam multitudinem exstare videmus tam in locis ad Plinium referendis quam in partibus ex aliis auctoribus decerptis, iam in fontibus suis nominatos reppererit.

Sed nobis huc respicientibus nova exoritur quaestio, num epitomator omnium scriptorum nomina, quae in fonte erant, attulerit; quam disquisitionem ad Solini fontes indagandos facere nemo ut opinor negaverit. Cuius usum describendi ut exponamus, eas Soliniani scripti partes perlustremus, quae ad Plinium sunt revocandae. Etenim in partibus ad Melam recedentibus, quo ex scriptore quinquaginta fere locis tam res quam verba deprompsit Solinus, nullum auctorem citatum animadvertimus, id quod non mirum est, cum Mela ipse ex auctoribus suis neminem nisi Cornelium Nepotem nominet (III 90)[1].

Multis autem exemplis confirmatur adsuesse Solinum narrationem aliquam ex Plinio petentem non omnium scriptorum nomina, quorum auctoritate ad relationem quam profert probandam Plinius nititur, in librum suum transferre. Exempli causa in loco de Taprobane insula Plinius VI 81 elephantos ibi maiores bellicosioresque quam in India gigni referens Onesicritum classis Alexandri Magni praefectum laudat testem, insulam ipsam flumine dividi et auro margaritisque esse repletam narrans Megasthenis auctoritate, mensuram prodens Eratosthenis se tuetur. Solinus autem, qui hanc paragraphum Plinianam exscribit (p. 195, 16 – 196, 9), ut omnia quae auctor suus narrat in medium profert, ita Megasthenis et Eratosthenis testimonia plane omittit. Porro ut aliud excitem exemplum Indiam descripturus uterque testantes inducit hos:

Plin. VI 56 sqq.	Solin. LII 1 sqq.
Eratosthenem	
Agrippam	
Posidonium	Posidonium

[1]) Locus III 70 ubi Hipparchus citatur fortasse corruptus est ibique scribendum est *id parcius,* ut probabiliter suspicatus est Hansenus annal. philol. vol. CXVII (1878) p. 498 sq. De Hannone et Eudoxo III 90 simul cum Nepote citatis, quos Mela ipse certe non inspexit, videas Hansenum l. c. p. 502.

Plin. l. c.	Solin. l. c.
Alexandrum Magnum . . .	Alexandrum Magnum
reges qui successere ei . . .	alios postmodum reges
Seleucum	
Antiochum	
Patroclem praefectum classis eorum	
Megasthenem	Megasthenem
Dionysium	Dionysium.

Ex hoc indice auctorum epitomatorem in transferendis auctoribus, quos forte in fonte suo citabantur, nequaquam magna cum diligentia esse versatum elucet. Atque quam neglegenter Solinus in scriptoribus citandis auctorem suum sequatur, dilucide demonstrant hi loci inter se conlati:

Plin. VI 69	Solin. p. 185, 17 sqq.
Septentriones eo tractu semel anno adparere, nec nisi quindecim diebus, Baeton auctor est, hoc idem pluribus locis Indiae fieri Megasthenes.	Septemtriones in eo tractu in anno semel nec ultra quindecim dies parent, sicut auctor est Baeton, qui perhibet hoc in plurimis Indiae locis evenire.

Plin. VI 55	Solin. p. 183, 6. 7
De iis (sc. Attacis) privatim condidit volumen Amometus, sicut Hecataeus de Hyperboreis.	atque ideo, ut Amometus adfirmat, par illis (sc. Attacis) et Hyperboreis genus vitae est.

Ut cognoscas haud ita magnam fidem Solino auctorem aliquem aliqua de re citanti esse habendam, expendas quaeso, quid effecerit ex Plinianis VI 200. Apud Plinium Xenophon Lampsacenus tradit Gorgades insulas a continente bidui navigatione distare, Hanno autem Poenorum imperator refert sese in eas penetrasse et feminas ibi invenisse toto corpore hirtas, quae viros pernicitate evaserint. Quae polyhistor sic reddit p. 210, 5 sqq. *prodidit denique Xenophon Lampsacenus Hannonem Poenorum imperatorem*

in eas permeavisse repertasque ibi feminas aliti pernicitate e. q. s. Praeterea conferas haec:

Plinius V 16	Solin. p. 110, 15 sqq.
Iuba Ptolemaei pater, qui primus utrique Mauretaniae imperitavit, studiorum claritate memorabilior etiam quam regno, similia prodidit de Atlante	haec de Atlante . . . Iuba etiam Ptolemaei filius qui utriusque Mauretaniae regno potitus est.

Ceterum permulti loci monstrant ex ampla serie auctorum a Plinio in partibus a polyhistore compilatis laudatorum, quos partim ad opus conscribendum Plinius ipse inspexerat, partim ideo tantum enumerat quod in eadem materia versati sint, haud paucos prorsus neglexisse Solinum; ut rem, cuius Plinius testes affert unum duove auctores, enarrat, ita testes ipsos plane omittit. Quod ut planius perspiciatur, nonnullos ex multis locos adlegare sufficiat. Conferri iubeo haec: Plin. VII 12 cum Sol. p. 83, 4 sqq.: Solinus omittit Isigonum Nicaensem; Plin. XXXVII 46 cum Sol. p. 98, 4: Solinus omittit Archelaum; Plin. VII 10 cum Sol. p. 86, 17: Solinus omittit Herodotum et Aristeam Proconnesium; Plin. IV 102 cum Sol. p. 102, 4. 5: Solinus omittit Pytheam et Isidorum; Plin. III 4 cum Sol. p. 105, 15. 16: Solinus omittit Livium et Cornelium Nepotem; Plin. V 9 cum Sol. p. 110, 3. 4: Solinus omittit Agrippam; Plin. V 9 cum Sol. p. 110, 8—10: Solinus omittit Polybium.

Pro his vero auctorum nominibus, quae in fonte exstabant, Solinus numquam fere posuit *legimus* vel *accipimus* vel *tradunt* vel alia id genus, quam citandi rationem polyhistora nomina Plinii Melaeque reticentem secutum esse supra observavimus, praeterquam quod semel pro nomine Duridis, cuius ad testimonium Plinius VII 30 provocat, ponit *perhibent* p. 188, 6. Quod si quis non sine causa ab epitomatore factum esse dixerit, me non habebit adversarium.

Omnibus autem aliis locis ex Plinio Melaque haustis, ubi Solinum certi auctoris nomine suppresso in universum citantem deprehendimus, adcurate vestigia fontium suorum pressit. Et haud ita raro testimonia communia quae vocamus ad verbum fere ex auctore suo adscivit. Cui rei documento sunt hi loci: Plin. VII 78 *accepimus* = Solin. p. 18, 15 *accepimus;* Plin. VIII 136 *accipimus* = Solin. p. 120, 10 *accipimus;* Plin. IV 113 *aliqui — alii* = Solin. p. 103, 17 *alii — alii;* Plin. VI 68 *quidam* = Solin. p. 185, 13 *quidam;* Plin. IV 89 *creduntur* = Solin. p. 89, 5 *credunt.*

Neque vero desunt loci quibus Solinus testimonia Pliniana Pomponianaque aliis verbis reddit. Sic legimus: Sol. p. 67, 1. 2 *fama prodiga est* pro Plin. XXXVII 180 *dicuntur;* Sol. p. 176, 12 *notatum etiam advertimus* pro Plin. VIII 163 *tradunt;* Sol. p. 14, 5 *compertum et illud est* pro Plin. VII 48 *extat in monimentis et medicorum et quibus talia consectari curae fuit;* Sol. p. 15, 4 *convenit inter omnes* pro Plin. XI 181 *tradunt;* Sol. p. 186, 9. 10 *lascivienti famae creditur* pro Mel. III 66 *Graecis auctoribus . . . aut materia ingessit aut error;* Sol. p. 107, 5 *dubitatur etiamnunc* pro Mel. III 2 *neque adhuc satis cognitum est.*

Nonnumquam vero polyhistora sic citantem observamus, ut vel auctores, in quibus res narratae sint, in commune laudet vel genus tantum, in quo scriptor numerandus est, significet; sicuti utitur his: Sol. p. 88, 16. 17 *sed cum probissimi auctores et satis vero idonei sententias pares faciant, nullus falsum reformidet* pro Plin. IV 91 *nec licet dubitare . . . tot auctores produnt;* Sol. p. 40, 17. 18 *fatentur qui naturas lapidum exquisitius sunt persecuti* pro Plin. XXXVII 52 *adfirmant;* Sol. p. 107, 9 *physici aiunt* pro Mel. III 2 *doctioribus placet;* Sol. p. 139, 12 *gnari siderum vel locorum varias . . . causas dederunt* pro Plin. V 55 *causas . . . varias prodidere;* Sol. p. 160, 4 *ut magi ferunt . . qui . . . putant* pro Plin. XXXVII 164 *dicitur.*

Iam deinceps si quaerimus num scripta singulorum, quibus res tractatae sint, ex aliis transferat, id animadvertendum est titulos scriptorum perraro a Solino adiectos esse, qua in re eum satis adcurate vestigia auctoris sui prementem videmus, numero vero libri, quo quae narrat commemorata sint, numquam indicato. Liceat ante oculos ponere haec:

Sol.	Plin.
Sol. p. 19, 2. 3	Plin. VII 81
Varro in relatione prodigiosae fortitudinis adnotavit	auctor est Varro in prodigiosarum virium relatione
Sol. p. 110, 16. 17	Plin. V 8
Hannonis Punici libri . . . prodiderunt	fuere et Hannonis Carthaginiensium ducis commentarii
Sol. p. 149, 7	Plin. XII 56
libris, quos Iuba rex scripsit ad Caesarem Augusti filium	Iuba rex iis voluminibus quae scripsit ad C. Caesarem Augusti filium.

§ 2.

Qua cum disquisitione aliam artissime cohaerere, quanam compilandi ratione usus sit polyhistor, haud sane facile quisquam eorum, qui in investigandis fontibus Solini versantur, infitiabitur. Qua in re exploranda examinemus necesse est primum, quomodo Plinium Melamque expilaverit, deinde quando ab alio ad alium auctorem deflexerit, tum adcuratumne diligentemque se praestiterit in fontibus describendis, denique quae qualiaque adiecerit suo ingenio excogitata.

Minime Solinum eum fuisse scriptorem, qui uno duobusve auctoribus expilandis contentus fuerit, ex praefationis verbis a nobis supra exscriptis satis superque elucet. Ac non raro animadvertitur hunc epitomatorem vel in uno eodemque enuntiato complurium conglutinasse sententias variisque ex auctoribus conquisivisse quae pro-

desse sibi crederet. Ex multis autem Plinii naturalis historiae libris multa sumpsit Solinus alios magis alios minus respiciens prouti memorabilia admirabiliaque praebebant. Maximam partem libros de situ gentibus maribus oppidis portibus montibus fluminibus mensuris populis qui sunt et qui fuerunt (III—VI) exscripsit et ad memoratu digna attendens non pauca ex libro de homine (VII) deprompsit non praetermittens, quae Plinius mira refert libro VIII de animalibus nonnullis (e. g. de elephantis, leonibus, serpentibus, lyncibus), l. IX de aquatilium natura, l. X de volucrum natura, l. XI de insectis animalibus. Praeterea identidem tam libros de arboribus exoticis (XII, XIII, XVI) quam de gemmis (XXXVII) adhibet, reliquos omnes aut rarissime in usum vocans aut omnino neglegens. Inter haec excerpta Pliniana per totum fere librum dispersi sunt loci, qui ad Melam recedunt, cuius ex libro II pleraque Solinus adscivit. Quamquam autem Melae orbis descriptio plurima perhibebat, quae auctori qualis erat Solinus adridere poterant, tamen sic fere semper adhibere solebat, ut frustula perparva inde staminibus suis intexeret. Veluti p. 68, ubi agit de locis populisque quibusdam Thraciae, disputationi maximam partem ex Plin. IV 40. 41. 42. 43 haustae inseruit satis breves enuntiationes ex Mel. II 28. 29 petitas. Item p. 55, 1 sqq. quae est de Graecia pendetque ex Plin. IV 1. 2. 6. 8. 7. 5 hoc unum refert ex Mel. II 43 in Epiro fontem esse sacrum, qui ita sit comparatus, ut fax ardens, si in eo demergas, extinguatur, si procul ac sine igne admoveas, suopte ingenio inflammet; praeterea inspicias p. 60. 145 et a. Aliquotiens vero ex Mela quoque continuam explicationem traxit, id quod, si placet exemplum luculentum considerare, in partem quae est de moribus situque Thracum cadit p. 67, 6—20. Addiderim iam alium locum, ex quo idem patescit. Disserit p. 107, 5—19 quibus ex causis Oceanus intumescat vel quatenus, cum superfluus sibi fuerit, rursus in se residat, quam disputationem totam alienis non admixtis a Mel. III 2 petitum ivisse Solinum

exploratum est. Melae autem chorographiam inde a p. 187, 9 seposuit nec postea inspexit.

Iam deinceps si perquirimus, quamnam Plinium Melamque expilandi consuetudinem sequatur polyhistor, id potissimum notabile est collectanea Soliniana in singulis fere paginis magnam rerum variarum collectionem continere, quas compilator ex diversis diversorum librorum Plinianorum paragraphis arcessivit. Neque enim tam id spectabat, ut quae variis eiusdem fontis locis reppererat propriis rationibus disponeret atque suum cuique locum tribueret, quam ut quodcumque dictu dignum ac praetermittere incuriosum videretur congereret, qua re haud raro narrationes iuxta positas videmus, quae tenuissimo aut omnino nullo vinculo cognationis inter se coniunctae sint. Cuius compilandi rationis, ut plenius intellegas, tibi dabo exemplum luculentum. In Italiae descriptione Plinii pedissequus p. 38, 4—10 de Padi fluminis fontibus ostio natura disputat, quem locum ex Plin. III 117. 118 delibatum esse apertum est. Inde vero eadem pagina transitu abrupto usus se convertit ad familias, quae agros Faliscorum incolunt et Hirpi vocantur, describendas. Quos sacrificium annuum ad Soractis montem Apollini facientes gesticulationibus religiosis impune insultare ardentibus lignorum struibus eoque perpetuo senatus consulto omnium munerum vacationem accepisse nobis narrat, quam explanationem ad verbum fere e Plin. VII 19 adreptam cum disputatione de Pado flumine non cohaerere quivis primo obtutu cognoscet. Deinde autem postquam gentem Marsorum, qui a Circae filio genus ducant, serpentibus inlaesam esse exposuit et C. Coelio teste perparvam de sororibus Angitia Medea Circe dissertationem nobis dedit, insulse ad serpentes lupos lynces cicadas quae sunt in Italia describendas adgreditur partim auctorem ignotum partim Plinii novem librorum III, VIII, XXXVII, XI paragraphos diversas nullo certo ordine servato in usum vocans. Iam vero Solinus in sequentibus paragraphis excerpens Plin. XXXII 22. 23 de Ligustici maris fruticibus

loquitur, quae explicatio ne verbo quidem, quod conectendis sententiis inserviat, cum prioribus coniuncta est, nedum ulla argumenti similitudine. Huius autem rei satis multa luculentaque reperiuntur exempla: vide inprimis p. 55, 15 et p. 56, 1; p. 123, 14 et 15; p. 171, 12 et 13.

Adsuevit porro compilator additamentis parvuli ambitus quae ex Mela deprompsit excerpta Pliniana ita augere, ut rerum ac sententiarum conexus atque decursus moleste interrumpatur. Sic ut ex multis exemplis unum adlegem, Solinus p. 129 sq. in enarranda Garamantica regione, postquam Cornelium Balbum Garamantas subegisse et primum de externis Gadibus genitum honores triumphales esse adeptum ex Plin. V 36 docuit, transitione nullo modo indicata armenta gentis istius obliquis cervicibus pabulari adeo abrupte dicit, ut contaminatio sua sponte pateat.

Ex his quae breviter exposuimus satis intellectum puto Solinum diversas narrationes adcurate coniungere atque in unum corpus consarcinare nequaquam studuisse. Itaque si quis librum eius perlecturus sit, frequenter perfacile cognoscet, quando ab alio ad alium fontis eiusdem locum deverterit. Idem saepe valet in partibus ex auctore ignoto depromptis. Veluti e. g. p. 43, 15 sqq. Solinus docet ex altera parte Italicum excursum per Liburnos in Dalmatiae pedem procedere, ex altera per Ligurum oram in Narbonensem provinciam, in qua Phocaënses Massiliam condiderint. Inde vero pergit C. Marium bello Cimbrico factis manu fossis invitasse mare tam abrupte, ut non incautum sit conicere paragraphos nominatas non ex uno eodemque fonte fluxisse. Iam Aquis Sextiis breviter descriptis nescio quo pacto ita pergit p. 44, 10 sqq: *Si Graecias cogitemus, praestat respicere litus Tarentinum: unde a promunturio, quod Acran Iapygiam vocant, Achaiam destinantibus citissima navigatio est;* id quod cum prioribus explanationibus non cohaeret ob eamque causam alii auctori aut fortasse alii eiusdem scriptoris loco deberi

videtur. Nec minus perspicue evidenterque alius locus ex auctore deperdito depromptus ostendit polyhistora, quippe qui omnem cogitationem in eo locaverit, ut nova monstruosaque corraderet, continuationem disputationum omnino non curasse. Nempe p. 188, quoniam multas uxores Indorum arbitrio suo ascendere rogum coniugum supremisque eorum semet ipsas dare inferias affirmavit, extemplo transitum ridicule abruptum usurpans exponit enormitatem in serpentibus tantam esse, ut cervos et animantium alia ad parem molem tota hauriant.

Cum igitur videamus Solinum ita conscripsisse libellum suum, ut in singulis fere paginis ex diversis auctoribus sive ex variis unius eiusdemque fontis libris scientiam suam compilaverit, eis qui fontes Solinianos indagaturi sunt eos potissimum locos examinandos esse patet, qui sententiis male conexis ac cursu narrationis moleste interrupto indicant compilatorem ab alio ad alium fontem transisse. Sed cave credas usquequaque eam quam modo expedivimus rationem materiam comportandi conglutinandique tenuisse Solinum. Etenim Plinianis paragraphis quae in censum veniunt cum Solinianis commentis conlatis saepenumero animadvertimus scholasticum omnia quae de una eademque re narrat e compluribus auctoris sui libris congessisse neque concentu neque tenore sententiarum turbato. Sic non raro continuae expositioni, quam ex tribus quattuorve eiusdem Pliniani capitis paragraphis cohaerentibus delibavit, unum duove enuntiata ex alio alius libri loco excerpta inseri videmus nullo modo cursu narrationis interrupto, quasi omnia quae profert Solinus ad unum eundemque fontis locum recedant. Ac praecipue amabat compilator, cum vidisset in duabus diversorum librorum paragraphis de eadem re diversisve rebus apud Plinium referri, alteram exscribere, deinde id quod altera continetur nec praemittere nec postponere, sed mediam in epitomam ante factam inserere atque adeo scite, ut tales parvuli ambitus panni, nisi Plinius exstaret integer, vix

unquam possent erui. Sicut, ut quod diximus exemplo comprobetur, p. 181, 8 sqq., ubi de camelis tractat, reddit ex Plin. VIII 67 quo Arabici et Bactriani differant atque quibus ministeriis fungantur, e Plin. XI 254 autem perhibet camelos pulmunculos habere eoque contrariam esse labem ambulantibus, quam narratiunculam inter excerpta libri VIII 67 quodammodo sepultam iacere videmus. Inspicias quaeso praeterea Sol. p. 15, 1—p. 17, 3 = Plin. VII 41, XI 181, VII 41; Sol. p. 53, 11—54, 4 = Plin. XXXVII 139, XXXVII 5, XXXVII 139 sq.; Sol. p. 104, 15—p. 105, 5 = Plin. IV 119, III 76, III 78, IV 119; Sol. p. 86, 5—18 = Plin. VII 10, IV 88, VII 10; Sol. p. 76, 3—9 = Plin. IV 67, XXXVII 105, IV 67. Et frustula ignotae originis inlata in paragraphum Plinianam invenias: Sol. p. 72, 1—6 = Plin. IV 58 ignot. Plin. IV 58; Sol. p. 59, 6—13 = Plin. IV 25 ignot. Plin. IV 25; Sol. p. 54, 8—14 = Plin. III 92 ignot. Plin. III 92 sq.; Sol. p. 24, 6—25, 3 = Plin. VII 77 ignot. Plin. VII 77. Atque haud raro nobis accidit, ut Soliniana quae ad Melam sunt referenda inter Pliniana sic inserta reperiantur, ut eodem nexu et quasi eodem spiritu contineantur, vide p. 82, 5—83, 6; p. 36, 9—37, 1 et al.

Quibus rebus inlustratis ad aliam quaestionem absolvendam accedamus quomodo Solinus in excribendis fontibus versatus sit, vel ut aliis verbis utar, utrum adcurate an neglegenter res ab auctoribus relatas reprompserit. Atque hac in re eum discedentem videmus a solito usu compilatorum aevi eius posteriorisve temporis, qui, quod quasi ad unguem libros quibus usi sunt descripserunt, laude quadam non indigni sunt.[1]) Neque enim unquam ampliorem narrationem ad verbum transcripsit, sed nonnulla dumtaxat verba vel breves enuntiationes auctoris sui adcurate expressit. Quam rem exemplis nolo persequi, cum nulla paragraphus Soliniana Plinianae Pomponianaeve

[1]) Cf. quod G. Wissowa l. c. p. 13 sqq. de Macrobio docet, et F. Bluhmius l. c. de Laurentio Lydo p. 36 sqq.

originis id non demonstret. Saepenumero Solinus singula Pliniana enuntiata suis verbis ita amplificavit, ut quod ad rem ipsam pertinebat nihil mutaret, sententiam vero auctoris quodammodo explicaret explanaretque. Quod quomodo evenerit, luculenter docent hi loci inter se conlati:

Plin. V 36	Solin. p. 128, 20—129, 13.
oppidum Garamantum . . Debris adfuso fonte a medio die ad mediam noctem aquis ferventibus totidemque horis ad medium diem rigentibus . . .	Garamantum oppidum est Debris fonte miro: quidni? qui alternis vicibus die frigeat, nocte ferveat, ac per eadem venarum commercia interdum ignito vapore inaestuet, interdum glaciali algu inhorrescat. incredibile memoratu, ut tam brevi curriculo natura tam dissonam faciat varietatem idque qui percontari velit tenebris, inesse fluori illi aeternam facem credat: qui rimetur die, brumales scatebras numquam aliud aestimet quam perpetuo rigere. unde non inmerito per gentes Debris inclita est, cuius aquae caelesti vertigine mutant qualitatem, quamvis contraversa siderum disciplina: nam cum mundum a calore vesper temperet, ab occasu incipit ita incalescere, ut ni tactu abstineas, noxium sit contigisse, rursum cum ortu solis incanduerit et radiis fervefacta sunt universa, sic hiemales evomit scaturrigines, ut hauriri etiam a sitientibus non queat. quis ergo non stupeat fontem qui friget calore, calet frigore?

Quos locos si quis inter se contulerit, intelleget quomodo auctori suo se mancipaverit Solinus. Neque enim quemquam esse puto qui sibi persuadeat Solinum propter haec enuntiata quae vulgaria praebent praeter Plinium etiam alium scriptorem inspexisse. Eiusmodi autem exempla afferri possunt complura, ubi Solinus ex suo arbitrio verba Plinii immutat, ut eius sermo magis minusve ipsius

dicendi consuetudini conveniebat, et res a Plinio relatas pluribus reddit. Contempleris velim haec:

Plin. X 78	Solin. p. 60, 10—14
perdices non transvolant Boeotiae fines in Attica.	perdices sane cum ubique liberae sint ut aves universae, in Boeotia non sunt nec cum volant sui iuris, sed in ipso aëre quas transire non audeant metas habent: inde ultra notatos iam terminos numquam exeunt nec in Atticum solum transmeant.
Plin. XXXVII 181	Solin. p. 158, 8—12
Sagdam Chaldaei vocant et adhaerentem, ut ferunt, navibus inveniunt.	Sagda a Chaldaeis ad nos usque fluxit, haud facilis repertu, ni ut perhibent ipsa se capessendam daret: namque ingenita spiritus efficacia supermeantes naves e profundo petit et carinis ita tenaciter adcorporatur, ut nisi abrasa parte ligni aegre separetur.
Plin. V 100	Solin. p. 164, 12—165, 2
In Lycia . . . mons Chimaera noctibus flagrans, Hephaestium civitas et ipsa saepe flagrantibus iugis.	Quod in Campania Vesubius, in Sicilia Aetna, hoc in Lycia mons Chimaera est: hic mons nocturnis aestibus fumidum exhalat. et quoniam natura ibidem subest ignea, Vulcano urbem proximam Lycii dicaverunt, quam de vocabulo sui nominis Hephaestiam vocant.
Plin. VIII 101	Solin. p. 170, 17—171, 2
Corvus occiso chamaeleone, qui etiam victori nocet, lauro infectum virus extinguit.	impetibilis (sc. chamaeleon) est coraci, a quo cum interfectus est, victorem suum perimit interemptus: nam si vel modicum ales ex eo ederit, ilico moritur: sed corax habet praesidium ad medellam natura manum porrigente: nam cum adflictum se intellegit, sumpta fronde laurea recuperat sanitatem.

Huic vero Solini consuetudini quam modo dixi alia est contraria; multi enim reperiuntur loci, ubi scholasticus uberiorem disputationem auctoris sui paucis reddit. Sic quae Plinius VII 137 fuse disserit Sullam non habuisse, cur Felicis sibi cognomen adsereret, Solinus sic refert p. 31, 2 *Cornelius Sulla dictus potius est quam fuit felix.* Nolo aliis exemplis inlustrare hanc exscribendi rationem, quae in epitomatoribus consentanea est.

Solinum autem, utpote qui nequaquam arte vestigia fontium suorum presserit, saepissime verba auctoris non recte intellexisse falsaque in librum suum transtulisse quis est qui miretur? Et constat omnes qui vocantur compilatores huiusce aetatis sedulitate magis quam iudicio rem egisse. Quod iam in Plinium ipsum cadere nemo nescit. Quo quam temere insciteque Solinus usus sit, paucis explicemus. Ac primum notaverim polyhistora eo potissimum permultis locis peccavisse, quod mensuras quas exhibet Plinius perperam transtulit. Vide haec commenta inter se conlata:

Plin. VII 84	Solin. p. 25, 10—13
Cucurrisse MCXL stadia ab Athenis Lacedaemonem biduo Philippidem magnum erat, donec Anystis cursor Lacedaemonius et Philonides Alexandri Magni a Sicyone Elim uno die MCCCV stadia cucurrerunt.	Philippides biduo mille ducenta quadraginta stadia ab Athenis Lacedaemonem decucurrit. Anystis Lacon et Philonides, Alexandri Magni cursores, Elin abusque Sicyone mille ducenta stadia uno die transierunt.

Quorum locorum explicationes in universum inter se conspirant, sed in numeris adferendis Solinus a Plinio discrepat, cuius rei culpam compilatoris neglegentia sustinet. Praeterea haec habeo comparanda, e quibus idem adsequaris:

Plin. VII 61	Solin. p. 14, 3
in viris Masinissam regem post LXXXVI annum generasse filium quem Metymannum appellaverit clarum est.	Masinissa rex Mathumannum filium septuagesimum et sextum annum agens genuit.

Plin. VI 196	Solin. p. 131, 15. 16
ab oceano ad Meroen $\overline{\text{DCXXV}}$ p. esse inter auctores fere convenit.	Ab Oceano isto ad Meroen . . . milia passuum sunt sescenta viginti.

Plin. VI 68	Solin. p. 185, 13 sqq.
Regi eorum (sc. Palibothrorum) . . . elephantorum $\overline{\text{IX}}$, per omnes dies stipendiantur.	quorum (sc. Palibothrorum) . . . elephantorum octo milia omnibus diebus ad stipendium vocat.

Conferas velim porro haec: Plin. V 2 et Solin. p. 108, 1; Plin. V 125 et Solin. p. 169, 11; Plin. VIII 164 et Solin. p. 176, 10; Plin. VI 47 et Solin. p. 179, 12—15.

Neque melius aliquando res ipsas a Plinio relatas reprompsit. Sic eum Pliniana detorquentem videmus hic:

Plin. VIII 158	Solin. p. 175, 19—176, 2
Phylarchus refert Centaretum e Galatis in proelio occiso Antiocho potitum equo eius conscendisse ovantem, at illum indignatione accensum domitis frenis, ne regi posset, praecipitem in abrupta isse examinatumque una.	Cum proelio Antiochus Galatas subegisset, Cintareti nomine ducis, qui in acie ciciderat, equum insilivit ovaturus isque adeo sprevit lupatos, ut de industria cernuatus ruina pariter et se et equitem adfligeret.

Prorsus autem contrarium menti Plinianae est quod socors iste compilator refert p. 148, 5 sqq.:

Plin. V 65	Sol. l. c.
Ultra Pelusiacum Arabia est, ad Rubrum mare pertinens et odoriferam illam ac divitem et beatae cognomine inclutam. Haec Cattabanum et Esbonitarum et Scenitarum Arabum vocatur, sterilis, praeterquam ubi Syriae confinia attingit, nec nisi Casio monte nobilis.	Rubri autem maris Arsinoe oppidum. verum haec Arabia procedit ad usque illam odiferam et divitem terram, quam Catabani et Scaenitae tenent Arabes, nobiles monte Cassio.

Porro inspicias velim p. 192, 10 ubi nescio quo pacto Tylum insulam Indiae vindicat, id quod Plinius non perhibet, qui Tylum Arabiae recte tribuit (XII 38). Atque Solinum ne verba quidem recte separare valuisse, ex loco a Mommseno in ed. p. VIII sq. commemorato cognoscitur, ubi Solinus (p. 76, 3. 4) ex verbis Plinianis IV 67 *Parus cum oppido, ab Delo $\overline{XXXVIII}$, marmore nobilis* procudit *Marmore Paros nobilis, Abdelo oppido frequentissima*[1]). Haec et talia menda a Solino admissa[2]) per totum fere opus magis minusve dispersa sunt neque mentione indigna, cum et ratio describendi et tota scriptoris indoles inde efficiatur.

Quibus rebus perpensis iam deinceps quid in libello componendo de suo adiecerit Solinus cum quaeramus, id nemini puto non constare compilatorem suo ex ingenio nec petivisse quicquam nec petere potuisse quo proficeremus. Quam ob rem Mommsenus iure meritoque dicit[3]) bonum factum esse quod ea quae de suo deprompsit Solinus sint perpauca. Et scholasticum nihil fere adiecisse monstrant

[1]) Haec verba Soliniana Gustavus Becker in mus. Rhen. XXIX p. 497 sic emendare vult: *Marmore Paros nobilis, a Delo [XXXVIII mil.], oppido frequentissima.* Sed vereor, ne Solinum potius quam librarios correxerit.

[2]) Nonnullos alios errores ridiculos, in quos Solinus incidit, tractat Mommsenus p. VIII.

[3]) l. c. p. X.

haec verba, quae iam supra contemplati sumus: *quid enim proprium nostrum esse possit, cum nihil omiserit antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc usque aevi permaneret?*

Ac primum quidem Solino ipsi adsignanda sunt ea quae serviunt coniungendis diversis operis partibus. Quod usu venire videmus p. 31, 22—32, 1, ubi Solinus postquam Plinii vestigiis insistens Italiam summis laudibus extulit, haec disserit: *Verum ne prorsus intacta videatur, in ea quae minus trita sunt animum intendere haud absurdum videtur et parcius depasta levibus vestigiis inviare.* Quae non ex auctore ignoto venire, sed polyhistori ipsi tribuenda esse exploratum est. Similia observamus p. 12, 14 sqq., ubi Solinus commemorat Augusto imperatore defuncto imminentia mala non dubiis signis adparuisse; nam Faustam quandam partu uno edidisse quattuor geminos, mares duos feminas totidem (cf. Plin. VII 33). Quod miraculum compilatorem invitavit, ut ex Plin. VII 33 sq. narraret Trogo auctore in Aegypto septenos uno utero simul genitos esse et feminam Asiaticam tricies enixam, quam Pompeius cum viginti eius liberis in theatro suo publicasset. Eam autem ducit Solinus occasionem accomodatissimam de generatione hominis agendi ac de suo adicit haec verba transitionem indicantia: *Unde competens hoc loco duco super hominis generatione tractare. etenim cum de animalibus quae digna dictu videbuntur, prout patria cuiusque admonebit, simus notaturi, iure ab eo potissimum ordiemur, quod rerum natura sensus iudicio et rationis capacitate proposuit omnibus. Itaque ut Democritus* . . . Quem transitum scite esse factum nemo ut opinor contenderit. Similia additamenta a Solino ipso ficta, quae nonnumquam singulas partes libelli duriuscule conectunt, legimus p. 31, 6: *De homine satis dictum habeo. nunc, ut ad destinatum revertamur, ad locorum commemorationem stilus dirigendus est*; p. 19, 17 sqq.; p. 21, 13 sqq. p. 25, 4 sqq.; maximeque additamenta Soliniana inveniuntur, si ab alia ad aliam regionem describendam transit; sicuti invenimus p. 47, 17: *Si respiciamus ad ordinem temporum*

vel locorum, post Sardiniam res vocant Siculae; p. 147, 16: *nunc ab Aegypto provehamus stilum*; cf. p. 153, 9. 10; p. 99, 14 sq. al. Quibus ab additamentis sunt distinguenda ea quae proferre nullius acuminis est quaeque tam vulgaria futiliaque sunt, ut neutiquam ad certum auctorem redire videantur. E. g. in enarranda Africa p. 118, 2 facile de suo addere potuit Solinus interna huius partis terrarum principaliter leones tenere, cum praesertim statim e Plin. VIII 46 genera leonum describeret; et in parte de homine p. 19, 1 sqq. maximam virium substantiam nervos facere, quantoque fuerint densiores, tanto propensius augescere firmitatem. Similiter erit aestimandus locus de Ligustici maris fruticibus p. 41, 10 sqq. aliique, quos Mommsenus signavit nomine auctoris quibusve adscripsit notam Plin. auct.

Caput III.

§ 1.

Quoniam Solinianis locis maximam partem cum auctoribus superstitibus comparatis exposuimus, quidnam in universum de compilatoris in adhibendis auctoribus ratione iudicandum sit, nunc accedamus ad eos quos praeter Plinium Melamque Solinus secutus sit auctores investigandos. Ac primum convertamus nos ad lacinias illas chronicorum optimae aetatis apud Solinum servatas, quae qualia sint iam supra absolvimus. Haec chronica Soliniana unde profecta sint eo magis nostra refert scire, quod auctori minime aetatis labentis debentur; quae res cum inde confirmatur quod anni numerantur regum Romanorum CCXLI, quibus numeris continetur antiquissima huiusce epochae dinumeratio[1]), tum ex dinumerationibus temporum patescit factis ad annum urbis conditae ratione Catoniana ab scriptoribus recentibus aliena[2]). Quibus perpensis Mommseno dicenti *hunc rivulum turbidum quidem et tenuem tamen proficisci ex vasto flumine doctrinae aetatis Augustae versarique nos hic in media eruditione Varroniana Verrianaque*[3]) quis est quin adstipuletur?

Idem vir summus postquam eos, qui in Solinianis illius operis chronographici reliquiis citantur, auctores recensens neminem laudari, quem post Neronem vixisse constat, cognovit, ad hunc finem pervenit, ut chronica Soliniana edita esse imperante Claudio statueret; nec ipsum

---

[1]) Cf. Mommsenus in ed.[2] p. XII sqq. et in chronol. Rom. p. 138 sq.

[2]) Videas Mommsenum in ed.[2] p. XIII et in chronol. Rom. p. 130.

[3]) In ed.[2] p. XIII.

auctoris nomen apud Solinum desiderari. Quem auctorem esse Bocchum autumat vir summus. Iam eius verba ipsa[1]), ne quid neglexisse videar, adscribam: *is enim* (sc. *Bocchus*) *non solum citatur ter, cum sit omnium minime illustris, sed citatur etiam non tam ad rem aliquam a paucis traditam vel controversam probandam quam de rebus apud chronographos omnes relatis et fere tralaticiis, ut sunt aetas Sibyllae Delphicae p. 36 et Polymestor Olympionica p. 25, 9. Bocchus autem hic Solinianus haud scio an sit Cornelius Bocchus is, quem inter auctores Latinos recenset Plinius in indicibus l. 16. 33. 34. 37 quemque citat cum propter gemmas quasdam Hispanicas omnes* (*37, 24. 97. 127*) *tum ad originem Sagunti declarandam conditi secundum Bocchum a Zacynthiis anno CC ante excidium Troiae* (*16, 216*) *quemque probabile est ipsum esse cui dedicati sunt tituli duo in Lusitania inventi*[2]) . . . *Bocchiana apud Plinium relata licet in quibusdam mire conveniant cum Solinianis, tamen cum omnia pertineant ad Hispaniam neque omnia locum habere potuerint in opere chronographico, magis putarim Plinium non eo usum esse, sed eiusdem viri libro diverso fortasse de admirandis Hispaniae.*

Sed etsi Mommseno concedo res, quae in chronographicis collectaneorum partibus a Solino afferuntur, descendere ad Augusti fere aetatem saltemve ad primum p. Chr. n. saeculum, tamen eius opinationem de Boccho auctore Solini quin abiciam facere non possum. Nam Bocchum opus chronographicum composuisse omnino negandum videtur. Etenim permirum esset Plinium, qui praesertim, ut ipse ait[3]), viginti milia rerum dignarum cura lectione voluminum circiter duorum milium ex exquisitis auctoribus centum incluserit triginta sex voluminibus, ex eiusdem

---

[1]) l. c. p. XIV.

[2]) C. I. L. II 35 et 5184; cf. Huebner in Hermae vol. I p. 397 et in Ephem. epigr. I p. 182.

[3]) Praef. 17.

Bocchi duobus diversis scriptis si exstitissent usum esse eo, quod de admirandis Hispaniae fuisse Mommsenus suo iure coniecit quodque vilioris pretii procul dubio fuit, illud autem opus chronographicum, e quo bona veteris doctrinae frustula in collectanea Solini Mommseni sententia fluxerunt, plane neglexisse. Itaque hos pannos perpaucos, quos Solinus Bocchum testem advocans adfert quique res sane tralaticias, id quod Mommsenus quoque non potuit non animadvertere, praebent, eiusdem quem in usum vertit Plinius libri Bocchiani esse pro explorato habendum est. Nec ipse Mommsenus facere potuit quin concederet Bocchiana apud Plinium relata in quibusdam mire convenire cum Solinianis. Reiectanea igitur est sententia Mommseniana de opere Bocchiano chronographico fonte Solini[1]). Quis autem Solino illa chronica eorumve partes subministraverit, nunc nobiscum quaeras.

Commodissimum exordium ducitur ab ea disputatione, quae et ipso argumento et universa indole inter se adeo concinna est, ut quin uni eidemque eiusdem scriptoris libro debeatur dubitari nequeat, illam de anni maxime Romani mutationibus ab antiquissimo tempore usque ad Caesarem Augustum factis doctrinam dico, p. 9, 9—11, 22. Quamquam autem Solinus, cum pro more suo fontem suum celet, in quaestione de auctore solvenda ipse nusquam nobis praebet ansam, tamen ut investigemus subsidia non desunt. Nam non pauci auctores de eodem argu-

[1]) Ceterum Bocchum auctorem Solini proximum fuisse si quis putat, ei ut obloquar sunt quae me moveant. Nam scholasticum, quippe qui, ut supra demonstrasse mihi videor, Plinium Melamque quos totiens compilavit consulto reticeat, si Bocchum adhibuisset, eum non commemoraturum fuisse certum est. Bocchi igitur nomen quin Solinus iam in fonte suo nominatum reppererit, equidem non dubito. Ac si rationem, qua p. 34 alii eiusmodi scriptores ut Hemina, M. Antonius in eodem contextu inducuntur, respexeris, facile perspicies omnia haec nomina uni eidemque deberi scriptori.

mento disserunt atque ita cum Solino congruunt, ut aliquo cognationis vinculo horum omnium scriptorum relationes inter se coniunctas esse statuendum sit. Sed cui enarrationem suam Solinus debeat, nuperrime a multis viris doctis alias res agentibus quasi in transcursu certatum est.

Anni historiam (p. 9, 9 sqq.) Solinus orditur a quaestione quali anno diversi populi utantur; de eadem re agit Plinius VII 155. Quam relationem satis brevem Plinianam cum Soliniana in comparationem vocans Maximilianus Rabenhorst[1]) ad eam opinionem processit, ut utrumque scriptorem ex eodem communi auctore hausisse statueret. Quod quam falsum sit statim adparebit. Primum enim Plinium et Solinum inter se eo discedere videmus, quod hic praeter illius populorum indicem exhibet alium, ut locos conferens facile cognosces:

Plin. VII 155	Solin. p. 9, 10 sqq.
Annum enim alii aestate determinabant et alterum hieme, alii quadripertitis temporibus, sicut Arcades quorum anni trimenstres fuere, quidam lunae senio ut Aegyptii.	nam ante Augustum Caesarem incerto modo annum conputabant, qui apud Aegyptios quattuor mensibus terminabatur, apud Arcadas tribus, Arcananas sex, in Italia apud Lavinios tredecim, quorum annus trecentis septuaginta quattuor diebus ferebatur. Romani initio annum decem mensibus computaverunt....

Hae autem explicationes tam populorum indice quam re ipsa inter se discrepant, id quod Rabenhorstium fugisse videtur. Nam Plinius Aegyptios lunae senio, id est menstruo spatio, annum terminasse tradit, Solinus vero quattuor mensibus hoc tempus definivisse Aegyptios. Quae cum ita sint, patet utrumque nequaquam ex uno eodemque auctore pendere. Plinii autem locum ad Varronem ret-

1) Der ältere Plinius als Epitomator des Verrius Flaccus, Berolini 1907 p. 9 sq.

tulit Muenzerus[1]) obloquente Rabenhorstio[2]), qui Plinium e Verrio hausisse frustra, ut mihi persuasi, demonstrare conatus est.

Proficiscendum est a disputationibus Censorini Macrobiique ad anni Romani historiam pertinentibus, quas cum Soliniana concinere viros doctos non potuit fallere. Quem concentum Mommsenus[3]) ita explicavit, ut tres quos habemus enarratores pendere diceret ab auctore communi: *quem quominus statuamus fuisse eum qui Plinium ad chorographiae formam redegit aetate Hadriana nihil videtur obstare. nam ad Varronem quidem semper ea res redibit tamquam auctorum auctorem: nec tamen crediderim Censorinum Solinum Macrobium ipsos legisse Varronis volumina supra suae aetatis modum docta.* Sed mihi videor supra ostendisse neque chorographiam illam Plinianam unquam fuisse neque opus chronographicum Bocchianum, e quo secundum Mommsenum chorographia Pliniana interposita illa de anno Romanorum explicatio Soliniana fluxit. At sine dubio recte iudicat Mommsenus de Varrone. Nam cum constet Reatini scripta tempore Soliniano et iam antea magis magisque neglecta esse et praemature deperisse[4]), polyhistor eum adhibere non potuit. Iam vero Georgius Wissowa[5]) Augustum Reifferscheid[6]) secutus ad Suetonium, quem scimus *adeo niti doctrina Varroniana ut alter fere Varro videatur*[7]), eiusque librum qui fuit de anno Romanorum revocavit certis argumentis prolatis Censorini

---

[1]) Beiträge zur Quellenkritik der Naturgeschichte des Plinius, Berolini 1897 p. 108. Cf. etiam Gruppius in Hermae vol. X p. 55. Diels, Doxographi Graeci p. 196.

[2]) l. c. p. 12.

[3]) In ed.[2] p. XXIII sq.; cf. chronol. Rom.[2] p. 19.

[4]) Cf. Gruppius in Comment. in honor. Th. Mommseni p. 545 sq.

[5]) l. c. p. 17 sqq.

[6]) C. Suetoni Tranquilli reliquiae, Lipsiae 1860 p. 434 sq. Videas etiam p. 177 sqq.

[7]) Wissowa l. c. p. 25. Cf. Reifferscheidius l. c. p. 474 sq.

(c. XX 2—11 et XXII 9—17) Macrobii (I 12—14) Solini (p. 9, 9—11, 22) relationes argutiis Gruppii, qui Macrobium Censorinumque eundem auctorem compilasse praefracte negaverat[1]), iure meritoque abiectis. Contra Martinus Schanz[2]), qui Suetonii Prata restituere conatus Censorini capitum XVIII 14 et XXI 10 auctorem Suetonii aetati adsignandum esse iustis argumentis ostendit, id demonstrasse sibi visus est, Censorinum quae his locis profert ex Suetonii Pratis deprompsisse; quam sententiam pro falsa habendam esse Paulus Weber[3]) causis manifestis explicavit atque haec Censorini capita XVII 7—13; XVIII 13—15; XX 2—12; XXI 6—13; XXII 8—17; XXIII 4 sqq. ad Suetonii librum qui erat de anno Romanorum, reliquam autem de temporibus doctrinam ad Varronis antiquitates humanas revocavit. At Alfredus Hahn[4]), qui dissertatione continua de Censorini fontibus disputavit, Weberi sententiam impugnans ex Varrone solo hausisse Censorinum pro certo affirmavit; praeterea comparans explanationem Censorini de temporibus cum Macrobiana ad eam opinionem progreditur[5]), ut *auctorem Macrobii a Censorini certe discrepare, eundem vero, ubi praecepta Varroniana sequatur, cum Censorino non dissentire* statuat. Macrobii autem fontem ad saeculum p. Chr. n. secundum esse reiciendum. Has autem Hahnii opinationes Fridericus Bluhme[6]) examini adcuratissimo subiecit et certis argumentis docuit apud Censorinum eos locos quibus Varronem sequitur ab iis qui ad Suetonium redeunt esse seiungendos. Nec minus copiose Bluhmius de Macrobii fonte egit, cuius de anni historia disputationem Sat. I 12—16, quam in Lydi compilatione dissuenda pro duce habuit, causis perquam probabilibus

[1]) l. c. p. 545.
[2]) In Hermae vol. XXX p. 425.
[3]) Quaestionum Suetonianarum capit. duo, diss. Hal. 1903 p. 44 sq.
[4]) De Censorini fontibus, diss. Jen. 1905.
[5]) l. c. p. 25.
[6]) l. c. p. 90 sq.

prolatis ad Suetonii librum de anno Romanorum, ut iam antea Wissowa, deduxit praeter Hahnium Theodorum quoque Litt[1]), qui a Lydo Macrobioque Cornelium Labeonem esse adhibitum adseveravit, recte refutans. Itaque ne iam dicta repetam, id quod Bluhmius evicit, non longius persequar.

Hahnius de Solini I 34—37 fonte quaestionem instituens id pro explorato habet[2]), Solinum a Censorino prorsus discedere et Macrobii Solinique auctores esse diversos. Hanc quoque Hahnii sententiam sibi probabilem non esse videri et Solinum quoque Suetonii librum de anno Romanorum exscripsisse obiter breviterque indicat Bluhmius,[3]) sed non amplius hanc in rem inquisivit; quam ob rem quid rei sit nunc meum est ostendere.

Hahnius quonam ex scriptore Solinus disputationem de anno Romano suam arcessiverit expedire non conatus est. Sed non potuit contendere Solinum Macrobiumque a Censorino prorsus discedere nisi libelli Censoriniani locum, quem ad alium atque quem adhibuerunt Solinus et Macrobius auctorem esse referendum certum est, cum polyhistoris Macrobiique explicationibus composuisset, Censorin. XIX 4 dico, quo scriptum invenimus *et in Aegypto quidem antiquissimum ferunt annum menstruum fuisse, post deinde ab Isone rege quadrimenstrem factum, novissime Arminon ad XIII menses et dies quinque perduxisse*; quibus diversa praebent Macrobius Solinusque, quos inter se compono:

Solin. p. 9, 10 sqq.	Macrob. I 12, 2
Nam ante Augustum Caesarem incerto modo annum conputabant, qui apud Aegyptios quattuor mensi-	Anni certus modus apud solos semper Aegyptios fuit. aliarum gentium dispari numero pari errore nutabat et ut con-

[1]) De Verrii Flacci et Cornelii Labeonis fastorum libris, diss. Bonn. 1904.

[2]) l. c. p. 29.

[3]) l. c. p. 91.

Solin. l. c.	Macrob. l. c.
bus terminabatur, apud Arcadas tribus, apud Acarnanas sex, in Italia apud Lavinios tredecim, quorum annus trecentis septuaginta quattuor diebus ferebatur.	tentus sim referendo paucarum morem regionum, Arcades annum suum tribus mensibus explicabant, Acarnanes sex, Graeci reliqui trecentis quinquaginta quattuor diebus annum proprium computabant.

Censorini igitur commenti explicationem (cf. praeterea quod Censorinus XIX 6 de Graecis et XIX 7 de Acarnanibus tradit) a Solini Macrobiique disputationibus esse diversam omnino negari nequit; unde sequitur, ut Censorinus ad alium auctorem atque quo usi sint Solinus Macrobiusque redeat. Atque hunc locum Censorinianum aeque ac Plinii indicem, qui nullos populos nisi Arcadas Aegyptiosque in testimonium vocat (cf. p. 101), ex Varrone fluxisse Muenzerus demonstravit.[1]) Sed nescio quo iure Hahnius dicere pergat[2]) *Solinus Lavinios quoque nominat, quos neque apud Macrobium neque apud Censorinum invenimus: quod ei cum Plinio commune est, cuius descriptionem Augustinus tradit aeque ac ille Lavinios quoque ad ceteras gentes addens.* Nam ne uno quidem verbo Plinius mentionem facit Laviniorum et aperte fugit Hahnium apud Augustinum Pliniana et Soliniana adcurate inter se esse seiungenda. Etenim quae apud Augustinum[3]) legimus: *Aegyptios habuisse annum quattuor mensum, Acarnanas sex mensum, Lavinios tredecim mensum* certe ex Solino fluxerunt. Nempe coniunctos, ut permulti alii scriptores, ambos auctores adhibet Augustinus, ita ut ipsa verba Plinii describat, cum Solinus eadem aut non habeat aut aliter referat. Solini autem Macrobiique explicationes inter se discedentes videmus in nulla alia re nisi quod Solinus Lavinios affert,

[1]) l. c. p. 108. Cf. Weber l. c. p. 46 et Bluhmius l. c. p. 93.
[2]) l. c. p. 26.
[3]) De Civitate Dei XV 12 (= vol. II p. 80, 25. 26 Dombart).

quem populum apud Macrobium desideramus, id quod non mirum est, cum Macrobius ipse diserte praedicet se esse contentum referendo paucarum morem regionum. Quam ob rem patet utrumque in populis enumerandis hausisse ex uno eodemque fonte nequaquam cum Censorini Pliniique auctore (i. e. Varrone) confundendo. Atque cum Wissowae argumentationibus, quas prorsus ratas esse Bluhmius denuo ostendit, Macrobium Suetonii vestigia pressisse constet, Solinum eundem auctorem expilasse apparet. Neque aliter res se habet de sequentibus Solinianis capitibus, quae nobis cum Macrobianis I 12, 3 sqq. sunt componenda; a quibus seiungi nequeunt placita Censorini, quippe qui eiusdem Suetonii doctrinam effingat, ut Weberus et Bluhmius Wissowam secuti luculenter evicerunt. Liceat autem mihi inter se conferre hos locos:

Solin. p. 9, 14 sqq.	Macrob. Sat. I 12, 3	Censorin. XX 2
Romani initio annum decem mensibus computaverunt a Martio auspicantes	Romanos quoque olim auctore Romulo annum suum decem habuisse mensibus ordinatum, qui annus incipiebat a Martio	Iunio Gracchiano et Fulvio et Varroni et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensum putarunt fuisse (sc. annum vertentem Romae)

	Macrob. I 12, 6. 7
adeo ut eius die prima de aris Vestalibus ignes accenderent, mutarent veteribus virides laureas, senatus et populus comitia agerent, matronae servis suis cenas ponerent, sicuti Saturnalibus domini: illae ut honore	huius etiam prima die ignem novum Vestae aris accendebant . . . eodem quoque ingrediente mense tam in regia curiisque atque flaminum domibus laureae veteres novis laureis mutabantur . . . comitia auspicabantur . . et servis cenas adponebant matronae, ut domini Saturnalibus: illae ut principio anni ad promptum obsequium

Solin. l. c.	Macrob. l. c.
promptius obsequium provocarent, hi quasi gratiam repensarent perfecti laboris:	honore servos invitarent, hi, quia gratiam perfecti operis exsolverent.

Solin. l. c.	Macrob. I 12, 5	Censorin XXII 9
maximeque hunc mensem principem testatur fuisse, quod qui ab hoc quintus erat Quintilus dictus est	quem mensem (sc. Martium) anni primum fuisse vel ex hoc maxime probatur, quod ab ipso Quintilis quintus est, et deinceps pro numero nominabantur.	. . . ceteros (sc. menses appellatos esse) ab ordine quo singuli erant, Quintilem usque Decembrem perinde a numero.
	I 12, 34	XXII 13
	— Quintilis a numero vocaretur —	Quintilem, quod loco iam apud Latinos fuerit quinto

Solin. l. c.	I 12, 3	XX 3
deinde numero decurrente December sollemnem circuitum finiebat intra diem trecentesimum quartum: tunc enim iste numerus explebat annum, ita ut sex menses tricenum dierum essent, quattuor reliqui tricenis et singulis expedirentur.	annus . . . conficiebatur diebus trecentis quattuor I 12, 38 dierum vero quattuor et trecentorum habendum esse constituit, mensesque ita disposuit, ut quattuor ex his tricenos singulos, sex vero tricenos haberent dies. I 12, 3 . . ut sex quidem menses, id est Aprilis Iunius Sextilis September November December, tricenum essent dierum, quattuor vero, Martius Maius Quintilis October, tricenis et singulis expedirentur.	hi decem menses dies CCCIIII hoc modo habebant: Martius XXXI, Aprilis XXX, Maius XXXI, Iunius XXX, Quintilis XXXI, Sextilis et September tricenos, October XXXI, November et December XXX.

Solin. l. c.	Macrob. I 13, 1	Censorin. XX 4
Sed quoniam ratio illa ante Numam a lunae cursu discreparet, lunari computatione annum peraequarunt, quinquaginta et uno die auctis.	Sed secutus Numa . . . quinquaginta dies addidit, ut in trecentos quinquaginta quattuor dies, quibus duodecim lunae cursus confici credidit, annus extenderetur.	postea . . a Numa . . facti sunt menses et dies CCCLV, quamvis luna XII suis mensibus CCCLIIII dies videbatur explere.

Solin. l. c.	Macrob. I 13, 2 sqq.
ut ergo perficerent duodecim menses, de sex mensibus superioribus detraxerunt dies singulos, eosque quinquaginta istis et uno diebus adnexuerunt, factique quinquaginta septem divisi sunt in duos menses, quorum alter viginti novem, alter viginti octo dies detinebant. sic annus habere quinque atque quinquaginta et trecentos dies coepit.	atque his quinquaginta diebus a se additis adiecit alios sex, retractos illis sex mensibus, qui triginta habebant dies, id est de singulis singulos, factosque quinquaginta et sex dies in duos novos menses pari ratione divisit, ac de duobus priorem Ianuarium nuncupavit . . . secundum dicavit Februo . . . . . .

Sol. p. 10, 13. 14	Macrob. I 13, 5	Censor. XX 4 sq.
. . . hortante observatione inparis numeri, quem Pythagoras monuit praeponi in omnibus oportere.	paulo post Numa in honorem imparis numeri, secretum hoc et ante Pythagoram parturiente natura, unum adiecit diem, quem Ianuario dedit, ut tam in anno quam in mensibus singulis praeter unum Februarium impar numerus servaretur.	sed ut dies unus abundaret, aut per inprudentiam accidit, aut, quod magis credo, ea superstitione qua inpar numerus plenus et magis faustus habebatur. certe

Sol. p. 10, 14 sqq.

unde propter dies inpares diis superis et Ianuarius dicatur et Martius: propter pares Februarius quasi ominosus diis inferis deputatur.

Macrob. I 13, 7

solus Februarius viginti et octo retinuit dies, quasi inferis et deminutio et par numerus conveniret.

Censorin. l. c.

ad annum priorem unus et quinquaginta dies accesserunt: qui quia menses duo non explerent, sex illis cavis mensibus dies sunt singuli detracti et ad eos additi, factique dies LVII, et ex his duo menses, Ianuarius undetriginta dierum, Februarius duodetriginta. adque ita omnes menses pleni et inpari dierum numero esse coeperunt, excepto Februario, qui solus cavus et ob hoc ceteris infaustior est habitus.

Solin. p. 10, 8 sqq.

Postmodum cum perspicerent temere annum clausum intra dies quos supra diximus, quandoquidem appareret solis meatum non ante trecentesimum sexagesimum quintum diem, abundante insuper quadrantis particula, zodiacum perficere decursum, quadrantem illum et decem dies addiderunt, ut ad liquidum annus diebus trecentis sexaginta quinque et quadrante

Macrob. I 13, 9 sqq.

Graeci cum animadverterent temere se trecentis quinquaginta quattuor diebus ordinasse annum — quoniam appareret de solis cursu, qui trecentis sexaginta quinque diebus et quadrante zodiacum conficit, deesse anno suo undecim dies et quadrantem — intercalares stata ratione commenti sunt, ita ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menses tricenum dierum composuerunt,

Solin. l. c.	Macrob. l. c.
constaret, hortante observatione imparis numeri . . (cf. supra p. 108).	intercalarent. id Graeci fecerunt, quoniam erat operosum atque difficile, omnibus annis undecim dies et quadrantem intercalare. itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, et nonaginta dies, qui nascuntur, si quadrans cum diebus undecim octies componatur, inserere in tres menses, ut diximus, distribuendos. hos dies *ὑπερβαίνοντας*, menses vero *ἐμβολίμους* appellitabant.
Sol. p. 10, 19 sqq. Graeci ergo singulis annis undecim dies et quadrantem detrahebant, eosque octies multiplicatos in annum nonum reservabant, ut contractus nonagenarius numerus in tres menses per tricenos dies scinderetur: qui anno nono restitui efficiebant dies quadringentos quadraginta quattuor, quos embolismos vel hyperballontas nominabant.	

Solin. l. c.	Macrob. l. c.	Censor. XX 6 sqq.
quod cum initio Romani probassent, contemplatione numeri parilis offensi neglectum brevi perdiderunt, translata in sacerdotes intercalandi potestate: qui plerumque gratificantes rationibus publicanorum pro libidine sua subtrahe-	hunc ergo ordinem Romanis quoque imitari placuit, sed frustra, quippe fugit eos diem unum, sicut supra admonuimus, additum a se ad Graecum numerum in honorem imparis numeri . . . alternisque annos binis et vicenos, alternis ternos vicenosque intercalantes expensabant	denique cum intercalarium mensem viginti duum vel viginti trium dierum alternis annis addi placuisset, ut civilis annus ad naturalem exaequaretur, in mense potissimum Februario inter terminalia et refugium intercalatum est, idque diu factum priusquam sentiretur annos

Solin. l. c.

bant tempora vel augebant. cum haec si forent constituta modusque intercalandi interdum cumulatior, interdum fieret imminutior, vel omnino dissimulatus praeteriretur, nonnumquam accidebat, ut menses qui fuerant transacti hieme, modo aestivum modo autumnale tempore inciderent.

Macrob. l. c.

intercalationibus quattuor. sed octavo quoque anno intercalares octo affluebant dies ex singulis, quibus vertentis anni numerum apud Romanos super Graecum abundasse iam diximus.

Macrob. I 14, 1

Verum fuit tempus, cum propter superstitionem intercalatio omnis omissa est, non numquam vero per gratiam sacerdotum, qui publicanis proferri vel imminui consulto anni dies volebant, modo auctio modo retractio dierum proveniebat . .

Censor. l. c.

civiles aliquanto naturalibus esse maiores.

Quod delictum ut corrigeretur, pontificibus datum negotium eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa. sed horum plerique ob odium vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret diutiusve fungeretur aut publici redemtor ex anni magnitudine in lucro damnove esset, plus minusve ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendum mandatam ultro quod depravarunt, adeo aberratum est . . . .

Itaque C. Caesar universam hanc inconstantiam, incisa temporum turbatione, composuit, et ut statum certum praeteritus acciperet error, dies vi-

Macrob. I 14, 2

sed postea C. Caesar omnem hanc inconstantiam temporum vagam adhuc et incertam in ordinem statae definitionis coegit . . .

Cens. XX 9 sq.

itaque diebus CCCLV addidit (sc. C. Caesar) decem . . . praeterea pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus vi-

Sol. l. c.

ginti unum et quadrantem simul intercalavit: quo pacto regradati menses de cetero statuta ordinis sui tempora detinerent. ille ergo annus solus trecentos quadraginta quattuor dies habuit: alii deinceps trecentenos sexagenos quinos et quadrantem.

Macrob. I 14, 6

Iulius ergo Caesar decem dies observationi veteri super adiecit, ut annum trecenti sexaginta quinque dies, quibus sol lustrat zodiacum, efficerent, et ne quadrans deesset, statuit, ut quarto quoque anno sacerdotes, qui curabant mensibus ac diebus, unum intercalarent diem, . . .

Cens. l. c.

debatur, instituit ut peracto quadrienni circuitu dies unus . . . post terminalia intercalaretur . .

Solin. l. c.

et tunc quoque vitium admissum est per sacerdotes. nam cum praeceptum esset, anno quarto ut intercalarent unum diem, et oporteret confecto quarto anno id observari, antequam quintus auspicaretur, illi incipiente quarto intercalarunt, non desinente. sic per annos sex et triginta cum novem dies tantummodo sufficere debuissent, duodecim sunt intercalati. quod deprehensum Augustus reformavit, iussitque annos duodecim sine intercalatione decurrere, ut tres illi dies, qui

Macrob. I 14, 13

. . ni sacerdotes sibi errorem novum ex ipsa emendatione fecissent. nam cum oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet intercalare, illi quarto non peracto sed incipiente intercalabant.

Macrob. I 14, 14

hic error sex et triginta annis permansit, quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cum debuerint intercalari novem. sed hunc quoque errorem sero deprehensum correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi iussit,

Sol. l. c.	Macrob. l. c.
ultra novem necessarios temere fuerant intercalati, hoc modo possent repensari.	ut illi tres dies qui per annos triginta et sex vitio sacerdotalis festinationis excreverant, sequentibus annis duodecim nullo die intercalato devorarentur.

Quas tabulas quicumque non praeoccupato iudicio in comparationem vocaverit, facere non poterit quin intellegat omnes tres enarratores in ipsis summis rebus inter se conspirare atque Solini errorum vitiorumque ratione non habita nihil fere aliud inveniri discrimen nisi quod alter altero uberius aliqua de re tractet. Et Macrobium communis auctoris doctrinam adcuratissime sincerissimeque reddere inde intellegitur, quod disputatio eius et uberrima et prorsus perspicua est. Atque ex locis eorum quos nos quoque habemus auctorum a Macrobio compilatorum cum Saturnalibus ipsis conlatis satis superque elucet artissime pressisse hunc scriptorem auctorum suorum vestigia[1]). Sed multo aliter res se habet de Censorino, utpote cuius rationem exscribendi omnino dissonam esse a Macrobiana vel ex tota libelli Censoriniani indole patescat. Etenim Censorinus, qui ex philologis commentariis quasdam quaestiunculas se delegisse, quae congesta possent aliquantum volumen efficere, ipse profitetur (I 6), ea tantummodo, quae et consilio opusculi sui accommodata et memoratu digna esse vidit, amplis ex voluminibus adscivit alia sive prorsus neglegens sive quam paucissimis verbis tangens. Itaque non mirum est Censorinum eorum quae prima Martis mensis die Romani facere soliti sint, quae iisdem fere verbis referunt Solinus et Macrobius, mentionem non facere et de correctione ab Augusto facta, quam et Solinus et

1) Cf. supra p. 28.

Macrobius verbis inter se concinentes exhibent, ne unum quidem verbum facere. Sed etsi Censorinus summas tantum res quas in fonte suo legit Q. Caerellio fautori suo tradidit, nihilo tamen setius concentum quendam verborum inter Macrobianam explicationem copiosissimam et brevem Censorinianam intercedentem deprehendimus.

Sed ut ad Solinum veniamus, res videtur postulare ut qui disputationem eius cum Censoriniana Macrobianaque contulerint commonefaciamus eorum quae de ratione exscribendi Soliniana supra ostendimus. Etenim Solinum, quem Plinium scriptorem simplicem saepe perperam intellexisse falsoque quae legerat rettulisse scimus, in anni mutationibus expediendis, quae doctrina Solinis nimis erat recondita, menda foeda stultaque commisisse, ita ut in singulis paginis ne secum quidem ipso concinat, quis est qui miretur? Quod eo minus mirum nobis esse videtur, quo magis eam quam Solinus sequitur compilandi rationem expendimus. Nam ut Plinium compilavit certo ordine minime servato modo hanc modo illam unius eiusdemque paginae paragraphum exscribens, sic etiam eum quem hoc loco in usum vocavit auctorem quin despoliarit dubius non sum. Ita enim facile fieri potuit, ut temere et neglegenter narraret eos (Romanos intellegere videtur), ut annum a Numa institutum restitutumve, qui dies habuisset quinque et quinquaginta et trecentos, cum solis cursu aequarent, adiecisse dies decem et quadrantem, ita ut ad liquidum annus diebus trecentis sexaginta quinque et quadrante constaret. Quae exponens non cognoscit emendationem a Caesare factam, si tunc id quod deerat ad solis cursum recta intercalatione addidissent, supervacaneam fuisse. Confundit eam quae Caesari est tribuenda emendationem cum alia et in malum ordinem redegit — praeterea ab eo in his paragraphis, ut quivis primo obtutu vidit, multa alia peccantur — nullo certo ordine ductus auctorem suum excerpens. Idem valet in p. 10,24 sqq. ubi legimus Romanos, cum initio morem intercalandi

Graecum secuti essent, brevi perdidisse contemplatione numeri parilis offensos. Quae verba in hanc sermonis continuationem prorsus non quadrare nemo non intellegit, cum ex Solini ipsius verbis prioribus eluceat Romanos rationem Graecorum usurpantes minime effecisse annum parilem numerum habentem. Atque id quod hic tradit Romanos contemplatione parilis numeri esse offensos addere debebat paulo antea referens a Numa annum trecentos quattuor dies habentem auctum esse quinquaginta et uno diebus. Nec magis verba eiusdem argumenti *hortante observatione inparis numeri, quem Pythagoras monuit praeponi in omnibus oportere* conveniunt ad ea quae in eadem paragrapho (39) prodit Romanos, ut annum solari computatione peraequarent, quinque atque quinquaginta et trecentis diebus addidisse decem dies et quadrantem. Videmus igitur Solinum etiam in enarratione anni Romani operam non dedisse, ut iis quae exscribebat suum cuique locum tribueret, qua re saepe turbas dedit. Quae perpendens atque quam male Plinium tractaverit Solinus reputans equidem facere non possum, quin quod dicit Hahnius[1]), iam ea quae auctor polyhistori praebuerit falsa fuisse cogitandum esse, hoc praepropere statutum esse adseverem.

Porro Hahnius, ut discrepantiam inter Censorini Macrobiique descriptionem intercedentem detegat, Macrob. I 13, 9, ubi hic cum Solin. I 42 conspirans Graecos tres menses nonaginta dies habentes octavo quoque anno intercalasse narrat, cum Censorin. XVIII 2 sq. comparat, quo loco legimus menses intercalares tertio quoque anno, quinto quoque anno, octavo quoque anno esse insertos. At fefellit Hahnium hunc locum Censorinianum ad Macrobii fontem redire neminem adhuc contendisse, ex Varronis autem antiquitatibus humanis fluxisse Weberum demonstrasse. Atque etiam Macrob. I 13, 1 cum Censorin. XX 4 sqq. con-

---

[1]) l. c. p. 28.

ferens Hahnius aliam invenit discrepantiam quae magni momenti esse ei videtur. Censorinus enim aeque ac Solinus tradit ad annum a Numa ordinatum quinquaginta unum dies accessisse, Macrobius autem, quippe cui copiosa explicatio adriserit, praeter alia, quae nec Solinus nec Censorinus exhibent, primum quinquaginta, unum postea in honorem imparis numeri. Hic est totus dissensus, quem pro nihilo, putandum esse nemo opinor non concedet.[1]) Et Hahnius ipse non potest non fateri *Censorin. XX 2—11 et XXII 9—17 non prorsus dissimilia esse Macrobii explicationi*[2]) et *Macrobium et Solinum in satis multis rebus inter se consentire.*[3]) Ac ne hoc quidem neglegendum est, non parvum esse verborum consensum qui inter Macrobium Solinumque intercedit. Quem animadvertens Salmasius[4]) ad eam sententiam processit, ut nonnullis locis Solinum a Macrobio compilatum esse putaret. Quae opinio, ne nimius in hoc errore refellendo sim, vel ea de causa repudianda est, quod Macrobiana explicatio et uberior et melior est enarratione Soliniana.

§ 2.

Venio ad aliarum libelli Soliniani particularum fontem indagandum. Sed fieri non potest quin antea adferam atque in examen vocem quas de auctore Soliniano Carolus Buresch et Martinus Schanz protulerunt opinationes. Ille enim aliam rem agens strictim animadvertit[5]) L. Iunium Moderatum Columellam et Solinum pariter Tmolum Lydiae montem referre croco florere (Solin. p. 168, 3 *mons Lydiae*

---

[1]) Cf. Bluhmius l. c. p. 118 not. 3, qui idem sentit.

[2]) p. 25.

[3]) p. 28.

[4]) Plinianae exercitationes in Solinum polyhistora, Trajecti ad Rhen. 1689 p. 13 E et p. 17 B.

[5]) Klaros. Untersuchungen zum Orakelwesen des späteren Altertums, Lipsiae 1889 p. 14 sqq.

Tmolus croco florentissimus et Colum. III 8, 4 *Tmolon* . . — sc. *aiunt* — *florere croco*). Plinius, qui reliquis narratiunculis illius paragraphi Solinianae (XL 9) cum scholastico adcurate conspirat (V 110), Tmolum narrat vitibus esse consitum (cf. praeterea XIV 74) atque ignorat Tmolum crocum habere. Bureschius igitur huic concentui inter Columellam Solinumque intercedenti permultum tribuit eumque ita explicavit, ut illum a scholastico exscriptum esse doceret. Sed nullo alio loco deprehenditur consensus inter utrumque, e quo possit aliquid conligi. Et sane in proclivi est expedire, quemadmodum illa adnotatio, qua Pliniana aucta esse cernimus, in collectanea Soliniana inlata sit. Vergilius enim in Georg. I 56 de croco Tmoli Lydiae montis dicit (*nonne vides, croceos ut Tmolus odores*). Iam vides opinor quo tendam. Nam cum supra viderimus (p. 76 not. 1) etiam alio loco Solinum versum Vergilii Georgicon in memoriam revocasse (cf. Solin. p. 177, 16— p. 178, 1 et Vergil. Georg. II 126), luce clarius est rem se hic non aliter habere. Ultro igitur evanescit argumentum a Bureschio arcessitum.

Nec multo melius res se habet de Schanzii sententia, qui argumentis non additis haec disserit:[1]) *Allein es steckt auch noch anderes in der Kompilation, und nur diese in das plinianische Gut eingewobenen Notizen fordern natürlich unsere Prüfung heraus. Es fragt sich vor allem, woher diese Notizen, die wir nicht auf einen der vorhandenen Autoren zurückleiten können, stammen. Mommsen denkt an eine Chronik des Bocchus, wir sind dagegen der Meinung, dass dieselben grösstenteils auf Sueton zurückgehen. Dass der Anfang der Kompilation aus der Roma Suetons stammt, ist kaum zweifelhaft.* Haec sunt Schanzii verba, qui iure improbat opinionem de Boccho auctore Solini Mommsenianam. Quod autem idem vir doctissimus censet principium libelli Soliniani ex libris Suetonianis de rebus Romanis

[1]) In hist. litt. Rom. III² p. 236.

referentibus delibatum esse, hoc, etsi per se omnino non caret specie quadam veritatis, vereor ut probabiliter possit demonstrari. Nam ex omnibus C. Suetonii Tranquilli libris quos complexum esse opus quod inscriptum erat Roma e Suidae testimonio viri docti concluserunt, ne unum quidem exstat fragmentum quod ea quae a Solino in initio collectaneorum rerum memorabilium venditantur praebeat. Ac ne ex titulis quidem illorum librorum a Suida nobis servatis[1]) potest conici Suetonium in scriptis de rebus Romanis agentibus eam de qua agit Solinus materiam tractasse. Nihilo autem minus nos qui Solinum vestigia Suetonii pressisse supra vidimus, quaeramus necesse est num quid praeterea in condendis collectaneis polyhistor ex eodem auctore deprompserit. Quod ut faciamus, nos invitat causa gravis. Etenim Solinum in ea quam sequitur compilandi ratione scriptorem quem adhibuit non uno solo loco sed saepius compilasse tantum non certum est. Nam cum sciamus scholasticum Plinium Melamque per totum fere opus neque uno tantummodo loco expilasse, nobis iure coniciendum est polyhistora simili modo fontes qui aetatem non tulerunt in usum vocasse. Itaque cum grana Suetonianae eruditionis uno loco clare evidenterque adpareant, nobis circumspiciendum est num aliis locis collectaneorum rerum memorabilium eiusdem auctoris vestigiis Solinus institerit. Et sane mihi videor in sequentibus aliquo iure nonnullas collectaneorum Solinianorum partes certis operibus Suetonianis tribuere.

---

[1]) Indices scriptorum deperditorum Suetonianorum, qui de rebus Romanis referebant, sunt hi:

a) *περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις θεωριῶν καὶ ἀγώνων βιβλία β΄.*

b) *περὶ τοῦ κατὰ Ῥωμαίους ἐνιαυτοῦ βιβλίον α΄.*

c) *περὶ ὀνομάτων κυρίων καὶ ἰδέας ἐσθημάτων καὶ ὑποδημάτων καὶ τῶν ἄλλων οἷς τις ἀμφιέννυται.*

d) *περὶ Ῥώμης καὶ τῶν ἐν αὐτῇ νομίμων καὶ ἠθῶν βιβλία β΄.*

Ea autem capita quae unde proficisci videantur nunc exponere in animum induco sunt haec, in quibus tractat Solinus de origine urbis Romae p. 3, 1—12; 4, 1—6, 3; 7, 5—8; a quibus non seiunxerim dinumerationes temporum factas ad annum urbis conditae ratione Catoniana p. 8, 16—9, 8; de regibus Romanis p. 6, 4—7, 4 et Macedonum p. 64, 19—66,11. 15—20; quibus adiungenda esse videntur ea quae profert polyhistor de Aenea eiusque filio Ascanio p. 35, 6—14. Quae omnia, etiamsi non pauca eorum iuxta excerpta ex Plinio aliisque scriptoribus facta posita inveniuntur atque his narrationibus, a quibus plus minusve dissentiunt, inserta sunt, inter se argumenti adfinitate atque universa indole adeo coniunguntur, ut vix tibi persuadeas haec ex diversis auctoribus fluxisse. Solinum autem in initio operis sui proferre doctrinam quae ad Varronem auctorum auctorem redit cum alii[1]) tum Ernestus Samter[2]) tam egregie ac copiose exposuit, ut non sit cur fusius de ea re disputem. Neque vero polyhistora ipsum Varronis libros ante oculos habuisse cum propter alia argumenta[3]) certum est, tum quod Reatinus a scholastico duodecies[4]) citatur. Quod autem tam multa vestigia eruditionis Varronianae in principio collectaneorum Solinianorum deprehenduntur, mirum quantum favet nostrae opinioni de

[1]) Mommsenus in ed.[2] p. XIII. Vide praeterea H. Iordan, Topographie der Stadt Rom im Alterum I 1, Berolini 1878 p. 39. 168. II, Berolini 1871 p. 142.

[2]) Quaestiones Varronianae, diss. Berol. 1891 p. 21 sqq. Ceterum commemoraverim non meum esse vestigia detegere Varroniana, quae procul dubio multis locis collectaneorum Solinianorum exstant. Qua de re inspicias Fridericum Ritschelium in mus. Rhen. vol. VI p. 534 (= opusc. III p. 473), Mommsenum ipsum l. c. p. XV, Ricardum Reitzenstein in Hermae vol. XX p. 525 sqq. 548. Praeterea de Solino Varronis auctoris ultimi sectatore videas Rudolfum Ritter, de Varrone Vergilii in narrandis urbium populorumque Italiae originibus auctore, Diss. philol. Hal. XIV p. 309. 324. 329 sqq. m. al. loc.

[3]) Supra p. 102.

[4]) E quibus septem loci non ex Plinio sumpti sunt.

Solino Suetonii sectatore. Cum enim constet doctrinam Varronianam praecipue Suetonii opera posteris esse traditam atque ita quidem, ut ipsius Varronis auctoritas brevi tempore obrueretur a Suetonio[1]), cumque in aperto sit Suetonium in manibus fuisse Solini atque ab illo scholasticum accepisse Varronianam de anno Romanorum doctrinam, quis est qui contendat nimis audacem esse meam coniecturam polyhistora ea quoque Varroniana quae in initio libelli eius leguntur eidem Suetonio debere? Ut autem statim praemittam, quod opus Suetonianum Solinum in usum vocasse credam, contendere ausim Tranquilli libros qui fuerunt de regibus fontem earum quas dixi partium collectaneorum fuisse, cuius operis quamvis perpauca tantummodo tenuissimaque frustula nobis servata sint, tamen imaginem quandam depingere dispositionemque restituere possumus. De quo haec Ausonius[2]): *his longe iucundissimum poema subdideras, quo de tribus Suetoni libris quos ille de regibus dedit epitomen coegisti*[3]) *tanta elegantia, solus ut mihi videare assecutus, quod contra rerum naturam est, brevitas ut obscura non esset. in his versibus ego ista cognovi:*

Europamque Asiamque duo vel maxima terrae
membra, quibus Libyam dubie Sallustius addit
Europae adiunctum, possit cum tertia dici,
regnatas multis, quos fama oblitterat et quos
barbara Romanae non tradunt nomina linguae:
Illibanum Numidamque Avelim Parthumque Vononem
et Caranum Pellaea dedit qui nomina regum,
quique magos docuit mysteria vana Nechepsus,
et qui regnavit sine nomine rex Sesoostris.

---

[1]) Cf. quod de hac re egregrie exposuit Reifferscheidius l. c. p. 473 sq.

[2]) Auson. ep. 19 p. 180 Schenkl.

[3]) Sic scribo pro *poema subdideras, quod de tribus Suetonii libris quos ille de regibus dedit in epitomen coegisti* . . . secutus coniecturam a Reifferscheidio propositam l. c. p. 458.

Quo ex fragmento cognoscitur Suetonium librum suum in tres partes distribuisse de Europae Asiae Libyae regibus separatim agentes. Etsi autem nusquam alibi huius Suetonii operis diserte mentio est facta, tamen vestigia particulae eius, quae de antiquissimis Italiae Albae Longae Romanorumque regibus fuit, detexerunt duo viri doctissimi, Theodorum Mommsen[1]) dico et Augustum Reifferscheid[2]). Suidas enim Tranquillo auctore s. v. *ἀσσάρια* et Cedrenus I p. 260. 801 nomine Suetonii suppresso referunt Numam primum ferreos et aereos asses congiarium dedisse Romanis, id quod uterque ex Ioanne Antiocheno hausit, in cuius excerptis[3]) leguntur et hoc et alia Numae inventa et ea quae Tarquinius Superbus adinvenit, quae omnia quin ex eodem fonte, id est ex illo opere de regibus Suetoniano, fluxerint dubitari nequit[4]). Iam vero quae de Tarquinii Superbi invento tradit Antiochenus *δεσμά τε καὶ μάστιγας κλοίους ξυλίνους καὶ σιδηροῦς πέδας ἀλύσεις μέταλλα καὶ ἐξορίαν ἐφευρών* inserta invenimus inter ea quae de regibus Romanis in libro qui inscriptionem habet *item origo gentis Romanorum, ex quo primum in Italia regnare coeperunt* chronographus anonymus[5]) anni 354 prodit. Apud hunc enim legimus *Tarquinius Superbus regnavit ann. XXV. Hic prior hominibus adinvenit lautumias tormenta fustes metalla flagella carceres exilia.* Cum autem narrationem illam de Tarquinii inventis Suetonianam esse omnibus numeris sit probabile, ne dicam certum, Reifferscheidius totam de regibus partem

---

[1]) In Actis societ. scient. Lips. I 1850 p. 600.

[2]) l. c. p. 459.

[3]) Mueller F. H. G. IV p. 553. 33.

[4]) Cf. Reifferscheidius l. c. p. 459.

[5]) Hunc chronographum anonymum edidit Mommsenus l. c. et in Chronic. min. vol. I p. 15 sqq. (Monum. German. hist. auctor. antiqu. IX).

chronici illius ex Suetonio depromptam esse[1]) optimo iure suspicatus est[2]). Haec autem quae iam Reifferscheidius pluribus exposuit a me putavi quam brevissime esse repetenda, cum fundamentum quoddam investigandi fontis Soliniani praebere videantur. Quicumque enim illius chronographi excerpta cum iis, quae Solinus de origine regibusque Romae tradit in comparationem vocaverit, eum opinor non praeteribit ambos inter se locis non paucis conspirare. Et inde concludere polyhistora et illum chronographum eiusdem auctoris doctrinae fructus nobis servare, hominis non incauti esse mihi videtur. Conferri autem iubeo haec:

Solin. I 7	Chronogr. anonym. a. 354 (Chronic. min. vol. I p. 143 sq. Mommsen)
aram Hercules, quam voverat, si amissas boves repperisset, punito Caco patri Inventori dicavit I 10 sacellum Herculi in Boario foro est	Eo tempore Hercules cum ab Hispania reverteretur aram quae est Romae ad forum boarium posuit et dedicavit eo quod Cacum filium Vulcani ibi in spelunca sua occiderat
II 14 Nec omissum sit Aenean aestate ab Ilio capto secunda Italicis litoribus adpulsum ... in agro Laurenti posuisse castra . . . tribusque mox	Latinus isdem locis regnavit . . hoc regnante Troia capta est, unde Aeneas Veneris et Anchisae filius venit et cum Latino iunxit

[1]) Ceterum manifestum est chronographum excerpta sua Suetoniana non ex ipso Tranquillo traxisse; cf. Reifferscheidium p. 461.

[2]) Vide Reifferscheidium p. 460.

Sol. l. c.	Chronogr. anonym.
annis cum Latino regnavit socia potestate	.... Latinus occisus est et regnum eius penes Aeneam remansit. Aeneas ... regnavit annis tribus
II 15 quo defuncto summam biennio adeptus	
II 16 deinde constituta ab Ascanio longa Alba	Ascanius ... Albam longam condidit
I 17 Romam condidit Romulus, Marte genitus et Rea Silvia, vel ut nonnulli Marte et Ilia	Romulus Martis et Iliae filius regnavit
I 18[1]) sqq. Romulus ... qui auspicato murorum fundamento iecit ... XI k. Mai. .. et observatum deinceps, ne qua hostia Parilibus caederetur, ut dies iste a sanguine purus esset ...	urbem Romam condidit XI Kal. Mai., qui dies appellatur Parilia
apud Caprae paludem nonis Quintilibus adparere desiit.	Hic cum natat ad paludem caprae, subito nusquam conparuit.

---

[1]) Ceterum vide, quantum non dissonet a Solino in urbis Romae conditae tempore definiendo Ioannes Laurentius Lydus:

Lydus de mens. I 14 (= p. 8, 5—11 W.)	Solin. I 18 (= p. 5, 21—6, 1)
Ῥωμύλος δὲ κτίζει τὴν Ῥώμην τῇ πρὸ δεκαμιᾶς Καλενδῶν Μαΐου . . . ἡ δὲ ὥρα τῆς πόλεως ὥρα δευτέρα πρὸ τρίτης, ὡς Ταρρούτιος ὁ μαθηματικὸς κατεστήριξεν, Διὸς μὲν ἰχθύσι, Κρόνου δὲ καὶ Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεος	ibi Romulus mansitavit, qui auspicato murorum fundamenta iecit duodeviginti natus annos, XI K. Mai., hora post secundam ante tertiam, sicut L. Tarrutius prodidit mathematicorum nobilissimus, Iove in piscibus,

Cum his rebus consentiant Solinus et chronographus, equidem non dubito quin ille eiusdem vestigia scriptoris atque hic (i. e. Suetonii) presserit. Quod qui concesserit facere non poterit quin totam quam supra circumscripsi de origine regibusque urbis Romae partem collectaneorum ex Tranquillo eiusque opere quod fuit de regibus delibatam esse statuat. Nam haec omnia artissimo argumenti vinculo inter se ita cohaerent adeoque in vicem se tuentur atque confirmant, ut quin uni eidemque debeantur scriptori vix quisquam puto in dubitationem vocet. Atque sane facile fieri potuit, ut Suetonius memoriae de antiquissimis Italiae Albae Longae Romanorumque regibus intexeret ea quae leguntur apud Solinum de urbis Romae nomine, de Hercule eiusque comitibus, de origine nomineque Palatii aliisque quae coniuncta sunt cum origine Romae; et certe Suetonius in opere qui fuit de regibus exposuit, quibus locis reges habitavissent. Ceterum quod anni regum Romanorum quos legimus apud chronographum anonymum non consentiunt cum iis, quos habet Solinus, inde minime efficitur utrumque diversos secutum esse auctores. Nam numeri a chronographo prolati cum nulla huiusce epochae dinumeratione conspirant. Quam ob rem Mommsenus iure suspicatus est illos numeros a librariis esse corruptos[1]).

Lydus de mens. l. c.	Solin. l. c.
καὶ Ἑρμοῦ Σκορπίῳ, Ἡλίου δὲ Ταύρῳ καὶ Σελήνης Ζυγῷ.	Saturno Venere Marte Mercurio in scorpione, Sole in tauro, Luna in libra constitutis.

Utrum autem Lydus Solino ipso usus sit an fonte eius, diiudicari nimirum nequit. Nam aeque ac Solinus Laurentius fontes suos celat. Cf. de hac re Bluhmium l. c. p. 23 sqq. *Tarrutius* autem scribendum esse apud Solinum non, ut vult Mommsenus, *Tarruntius*, recte adserit Bluhmius l. c. p. 28 not. 4. Alios locos Lydianos cum Solinianis conspirantes, unde posset aliquid conligi de auctore Solini, equidem frustra quaesivi.

[1]) Act. soc. scient. Lips. I p. 649 not. 7.

Praeter has paragraphos Solinum etiam nonnullas alias e Suetonio eiusque libro de regibus sumpsisse iam per se fit probabile ex ea quam sequitur ratione fontes exscribendi. Quem cum sciamus auctoribus quos nos quoque habemus ita se mancipasse, ut excerpta ex iis facta per totum fere opus dissiparet eaque modo hoc modo illo collectaneorum loco conlocaret, in proclivi est conicere similiter eum fontes nobis non servatos in usum convertisse. Et insunt collectaneis nonnulla, quae quin ex eodem libro Suetoniano, ex quo quae tradit Solinus de origine regibusque urbis Romae manasse veri admodum simile est, hausta sint nullus dubito: dico ea quae profert scholasticus de regibus Macedonum p. 64, 19—66, 11. 15—20. Procedit narratio de saxis immanibus, quae sunt in Thessalia et Athamania, subiecta autem est disputatio de paeanite lapide qui in Macedonia invenitur ex Plin. XXXVII 180 petita. Narratiunculam quae est de saxis Thessaliae Athamaniaeque cum disputatione de regibus Macedonum minime cohaerere neminem fugit. In aperto igitur est ambas illas dissertatiunculas nequaquam ex uno eodemque fonte manasse optimeque huic opinioni convenit transitio admodum abrupta, qua conectere studet argumenta: .. *nam in latebrosis rupium cavaminibus quae fluctuum confligiis tunc adesa sunt, reduviae conchyliorum resederunt et alia multa quae adfatim mari incito expuuntur: ita ut, sint licet facie mediterranea, appareant tamen specie litorali. Nunc de incolis reddam. Emathius qui primus in Emathia occepit principatum* . . . Relationi autem de regibus Macedonum non possumus non animadvertere similitudinem quandam disquisitionis indolisque intercedere cum iis quae sunt de origine regibusque urbis Romae. Ac primum quidem ita orditur et disputatio de urbe Roma et enarratio regum Macedonum, ut unde derivanda sint nomina quaeratur. Deinde ut Solinus in principio libri sui exponit, quae multo ante Romulum fuerint, sic de antiqua Macedoniae historia agens brevissime narrat quae fuerint ante

Macedonem, Deucalionis maternum nepotem. Tum refert de origine capitis Italiae prodens Romam condidisse Romulum auspiciis observatis atque diis propitiis, de regibus Macedonum disputans Caranum, qui insecutus sit Macedonem, iuxta responsum dictum deo condidisse Aegas. Denique enumerat scholasticus reges Macedonum usque ad Alexandrum Magnum exponens quodcumque de singulis dictu dignum esse videbatur, id quod eum in enumeratione regum Romanorum pariter facere videmus. Quae si recte sunt disputata, mihi totus persuasi narrationem de origine regibusque urbis Romae et disputationem de regibus Macedonum ex eodem auctore videlicet ex libro de regibus Suetoniano tractas esse. Valde autem dolendum est quod praeter Ausonium nemo mentionem facit eius partis operis Suetoniani, quam sane permultum nostra interest plenius cognoscere. Attamen in perpaucis versibus, quibus librorum quos de regibus edidit Suetonius notitiam debemus, unus ex numero eorum quos enumerat Solinus regum Macedonum nominatur, Caranum dico. Nempe apud Ausonium legimus haec: *Caranum Pellaea dedit qui nomina regum* . . , quibuscum conferas haec Soliniana: *Macedo . . . vertit vocamen Macedoniamque a se dixit. Macedonem Caranus insequitur, qui . . . urbem condidit.*

§ 3.

Qui in eruendo versantur auctore eorum quae habet Solinus neque ex Plinio hausta neque ex Mela, eis ii potissimum loci conligendi atque omni cura expendendi sunt, qui et argumenti adfinitate et tota indole disputandique ratione inter se artissime concinni sunt, ita ut nequeant non ad unum eundem fontem redire. Ac saepe non nimis difficile est singulas particulas eximere, quae communem auctorem redoleant. Quod si locos huius generis circumspicimus, maxime notabilia sunt quae de serpentibus

variarum terrarum agunt capita; quae hic componere mihi liceat:

cap. II 32—33 (= p. 39, 10—40, 2) de serpentibus Italiae:
- a) de vipera
- b) de Calabriae chersydris
- c) de boa;

cap. XXVII 30—34 (= p. 122, 12—123, 11) de serpentibus Africae:
- a) de scytale
- b) de diversis aspidum speciebus
- c) de scorpionibus scincis lacertis, qui vermibus potius quam serpentibus adscribuntur,
- d) de serpentibus in universum;

cap. XXVII 53 (= p. 127, 1—5) quae Solinus praeter Pliniana profert de basilisco qui est in Aegypto;

cap. XXX 15 (= p. 132, 16—133, 2) de draconte qui est in Aethiopia;

cap. LII 33 (= p. 188, 16—189, 2) de serpentibus Indicis.

Hae narratiunculae quae omnes fere satis inscite reliquis staminibus operis sui a Solino intextae sunt, ex uno eodemque fonte[1]) esse depromptas patet. Hos autem locos ipso argumento inter se conexos ad certum auctorem mihi relaturo initium capiendum est ab iis quae adminicula quaedam quaestionis instituendae praebere videntur paragraphis, XXVII 30—34 (= p. 122, 12—123, 11) dico, ubi de Africae serpentibus tractat scholasticus; neque enim desunt qui de eadem materia agant, M. Annaeus Lucanus in bell. civ. IX 700—733 cum commentis Bernensibus p. 308, 25—310, 5 (Usener). Iam vero Fritzschius,[2]) qui

---

[1]) Quae de vipera, de Calabriae chersydris, de boa II 32—33 leguntur, Solinum fortasse ex eodem auctore petivisse, ex quo hauserit narrationes de serpentibus Africis, Robertus Fritzsche, Quaestiones Lucaneae, diss. Ienens. 1892 p. 13 not. 3 optime suspicatus est.

[2]) l. c. p. 11; cf. not. 1.

de Lucano quaestiones instituens hunc locum Solinianum tetigit, sibi persuasit Mommsenum non recte deduxisse ad Plin. VIII 85. 86 ea quae de ceraste, amphisbaena, iaculis apud Solinum inveniuntur p. 122, 3—12. Ac primum quidem similitudinem inter has Plinianas Solinianasque paragraphos intercedentem non esse plenam, deinde iam per se esse verisimile totam hanc de serpentibus Africis commentationem ab uno repetivisse auctore Solinum. Quae sententia probatur Carolo Weyman.[1] Sed quae plura Plinio profert polyhistor de ceraste et de amphisbaena[2] mea quidem opinione tam vulgaria sunt, ut haec ex ingenio Solini profecta esse facile queat cogitari. Porro

---

[1] Berliner philolog. Wochenschrift 1896 p. 910 sq.

[2] Ut ipse iudices, Pliniana quaeque iis respondent apud Solinum exscribo:

Plin. VIII 85	Solin. p. 122, 4—8
cerastis corpore eminere cornicula saepe quadrigemina, quorum motu reliquo corpore occultato sollicitent ad se aves.	cerastae praeferunt quadrigemina cornicula, quorum ostentatione veluti esca inlice sollicitatas aves perimunt: nam reliqua corporis de industria harenis tegunt nec ullum indicium sui praebent nisi ex ea parte, qua invitatis dolo pastibus necem praepetum aucupentur.
Plin. VIII 85	Solin. p. 122, 8—10
geminum caput amphisbaenae, hoc est et a cauda, tamquam parum esset uno ore fundi venenum.	amphisbaena consurgit in caput geminum, quorum alterum loco suo est, alterum in ea parte qua cauda: quae causa efficit, ut capite utrimque secus nitibundo serpat tractibus circulatis.

De iaculis non plura praebet Solinus quam Plinius, ut cognoscis ex his:

Plin. VIII 85	Solin. p. 122, 11. 12
iaculum ex arborum ramis vibrari, nec pedibus tantum pavendas serpentes sed et missili volare tormento.	iaculi arbores subeunt, e quibus vi maxima turbinati penetrant animal quodcumque obvium fortuna fecerit.

quod VIII 86. 87 Plinius de aspide dicit: *unus huic tam pestifero animali sensus vel potius adfectus est. coniugia ferme vagantur, nec nisi cum pari vita est. itaque alterutra interempta incredibilis ultionis alteri cura; persequitur interfectorem* et *hebetes oculos huic malo dedit eosque non in fronte adversa quo cerneret, sed in temporibus* et quod Solinus p. 123, 8 sqq. haec anguibus universis vindicat[1]), ex hoc discrimine nihil sequitur, cum sane facile fieri potuerit, ut polyhistor pro more suo non recte intellegeret Plinium. Praeterea, ut supra vidimus, Solinus de eadem materia agens haud ita raro duos adiit fontes neque est cur dubitemus, quin scholasticus quae de serpentibus Africis praebet ex duobus scriptoribus contaminaverit. Fontem autem ultimum Solini Solinive auctoris fuisse Sostratum, quo praeter Nicandri Colophonii Theriaca Aemilius Macer, Lucani auctor, usus est[2]), Fritzschius coniecit[3]). Sed haec in medio relinquamus. Nostra enim maxime interest scire, quo ex auctore proximo quem nos non habemus sua hauserit Solinus. Iam vero Salmasius[4]) rerum similitudine quadam commotus pleraque in hoc tractatu Solinum sumpsisse e Lucano suspicatus est parum considerate. Nam ut omittam enumerare discrepantias inter Lucanum Solinumque intercedentes, quas iam Fritzschius[5]) Salmasianam sententiam recte refutans indicavit, ne speciem quidem probabilitatis habet Solinum, qui praeterea nusquam exscripsit Lucanum, hoc loco eius vestigia pressisse; qua in re examinanda ne illud quidem neglegendum videtur compilatorem alibi poetarum testi-

---

1) De his adnotationibus Plinianis Solinianisque inter se discedentibus Fritzschius non disputaverat.

2) Cf. Fritzschium l. c. p. 23.

3) l. c. p. 23.

4) l. c. p. 240.

5) l. c. p. 11.

monia in dubitationem vocare vel potius minimi facere[1]). Quibus de causis veri admodum dissimile est Lucanum fontem fuisse Solini. Iam vero nonnulla eorum, quae ad interpretandos inlustrandosque versus Lucani congessit is, qui commenta quae vocantur Bernensia condidit, similia sunt eorum quae a Solino l. c. adferuntur, ut ex his locis inter se conlatis elucet:

Solin. p. 122, 4		Comm. Bern. in Luc. (U.)
cerastae praeferunt quadrigemina cornicula	v. 716	ceraste quod capitibus velut cornua erecta gerunt
p. 122, 8—10		
amphisbaena consurgit in caput geminum . . quae causa efficit, ut capite utrimque secus nitibundo serpat tractibus circulatis	v. 719	amfisbena quod utraque parte capud habeat et utraque serpat
p. 122, 17		
hypnale[2]) quod somno necat	v. 701	Aspis haec cum percussit, ita gravem toporem efficit morienti, ut videatur per somnum mori
l. c.		
dipsas siti interficit	v. 718	torrida dipsas quod percussos siti mori faciat
p. 123, 4		
ictus sepium putredo sequitur.	v. 723	tabificus seps quod percussus ab eo statim putrescit.

Qui loci cum monstrent Solinum et scholiastam etsi non verbis tamen rebus inter se conspirare, scholiastam

[1]) Cf. supra p. 76 not. 1.

[2]) Hanc serpentem esse speciem aspidum Solinus antea dixerat.

pendere a Solino quominus statuamus impedit, quod apud illum nonnulla inveniuntur, quae desideramus apud Solinum quaeque scholiastam de suo addidisse nemo opinor affirmabit secum reputans huius scriptoris exilitatem[1]. Etenim Solinus XXVII 33 nomina tantummodo serpentium nonnullarum enumerat nihil praeterea adiciens *sunt et ammodytae, est et cenchris, elephantiae, chersydri, chamaedracontes;* scholiasta vero et ammodytae et cenchridis nomina interpretatus est: v. 716 *ammodites a latendo sub arena; cencris quod milio similis est, Graeco nomine;* praeterea quae de ceraste narrat: *cerastam Helena rapta a Paride in Aegyptum dicitur calcasse: inde spinam fractam habere* quaeque profert de scytale et de prestere a Solino absunt. Unde cum pateat scholiastam ex Solino sua non hausisse, consensus inter duos scriptores intercedens, qui sane negari nequit, non aliter explicari potest nisi ut hoc scholion ad eundem atque quo usus sit Solinus fontem redeat. Quem ut indagemus disputatio nostra convertatur ad Isidori Hispalensis episcopi originum caput XII 4, quod est de serpentibus. Quod caput continet excerpta facta ex diversis auctoribus, qui aetatem tulerunt. Sic inprimis compilati sunt Solinus, Servii commentarii in Vergilium, Plinius alii[2]. Ut autem magnae speciem lectionis doctrinaeque prae se ferat, exornat Isidorus orationem pedestrem versibus poeticis, Lucanum, Persium, Aemilium Macrum, Ovidium testes producens. Sed ut demas ea, quae auctoribus superstitibus debentur, restant nonnulla minime ab Isidoro ipso ficta sed omnino petita ex auctore hodie deperdito. Eius generis e. g. sunt ea quae episcopus affert XII 4, 3 de serpentibus reptilibusque in universum; XII 4, 9 de sibylo; XII 4, 33 de salpuga, de caecula, de

[1] Cf. quod docet de illo scholiasta H. Genthe in Hermae vol. VI p. 229 sq.

[2] Cf. adnotationes a Faustino Arevalo factas in editione Romae 1797—1803 emissa.

centupeda; XII 4, 34 de lacertis; XII 4, 35 de botrace; XII 4, 37 de saura aliaque. Quae unde hauserit Isidorus si quaerimus, iam per se patet haec ad eundem redire auctorem, e quo Solinus quae de serpentibus narrat quaeque ad scriptorem nobis servatum revocare non possumus deprompserit. Qua in re quod mihi convenit cum Fritzschio magno mihi gaudio est. Sic enim iudicat ille[1]): *fortasse* inquit *ad eundem auctorem ignotum* (sc. *Solini*) *referenda sunt, quae de serpentibus leguntur apud Bernensem Lucani scholiastam, nec non ea, quae Isidorus a Lucano et Solino repetere non poterat.*

Quod si qui quaerunt, quisnam sit auctor, ex quo illas Originum libri XII qui est de animalibus adnotationes, quae ad scriptorem nobis servatum deduci nequeunt, lucratus sit Isidorus, eis responsum dat Augustus Reifferscheid[2]) in hunc fere modum locutus: *septimo saeculo exstitit Isidorus Hispalensis quem iure alterum Suetonium nomines. hic enim cum pratorum opus etiam in occidente in partes suas dissolutum esset, quarum plurimae interissent, ipse e memoria Suetonianorum pratorum similem encyclopaediam originum libros etsi diverso consilio, cum et ipse argumenti occasione data non proprietatem tamen sed originem verborum demonstraret, maxime poetarum scholiis adhibitis condidit. deinde partem pratorum singulari de natura rerum libro imitando expressit, quem inter et originum libros ea differentia intercedit, ut in illo Suetonianae eruditionis reliquiae possint internosci, in his autem Isidorus Tranquillum excerptorum ex toto litterarum veterum orbe quoad ipsi cognitus fuit petitorum farragine quasi obrueret.* Adseverat igitur vir doctus Originibus Isidori inesse reliquias Pratorum Suetonianorum neque id iniuria. Et sane ad certum librum huius operis Tranquilli eos, quos ut ad auctorem, qui

---

[1]) l. c. p. 13.

[2]) l. c. p. 476 sq.

aetatem tulit, revocaret nemini adhuc contigit[1]), loci orig. XII 4, *qui plenus est Suetonianae eruditionis*[2]), summa probabilitate deduci possunt. Quid autem in Pratorum libris X tractaverit Tranquillus atque quemnam ordinem dispositionemque hoc in opere secutus sit, cum a viris doctis multum certatum sit, Reifferscheidium[3]), Schanzium[4]), Weberum[5]) dico, diversissimaeque de nonnullorum librorum argumentis prolatae sint sententiae, in libro decimo restituendo omnes inter se conspirant unanimi consensu iudicantes Suetonium hac in parte operis de natura animantium scripsisse. Atque re vera ex fragmentis[6]) satis superque adparet libro X Pratorum Suetonianorum naturas animalium et domesticorum et externorum adcuratissime tractatas esse atque indicem huius libri fuisse *de animantium natura*[7]). Et ex hac Pratorum parte, ut suo iure Reifferscheidius suspicatus est[8]), venerunt ii quorum alios auctores demonstrare non licet loci Originum libri XII, inter quos nimirum numerandae sunt eae quoque particulae capitis XII 4 quas supra circumscripsi quaeque agunt de serpentibus. Iam

---

1) Qui de Originum Isidori fontibus disquisitionem continuam instituit, Hermannus Dressel (De Isidori originum fontibus, diss. Gotting. 1874), de Isidoro Suetonii sectatore ne unum quidem verbum fecit.

2) Cf. Reifferscheidium l. c. p. 259.

3) l. c. p. 426 sqq.

4) In Hermae vol. XXX p. 401 sqq.

5) l. c. p. 25 sqq.

6) Vide Reifferscheidium l. c. p. 247 sqq. Cf. praeterea Schanzius in Hermae vol. XXX p. 408. 419.

7) Vide Reifferscheidium l. c. p. 443.

8) l. c. p. 259 sqq.; inspicias praeterea p. 447 et confer cum indice libri X Pratorum *de animantium natura* a Giraldo Cambrensi in itinerario Cambriae I 7 servato haec verba Isidoriana orig. XII 2, 13 *sicut asserunt qui naturas animalium scripserunt* et XII 6, 49 *tradunt ii qui de animantium scripserunt naturis*; inspicias etiam Schanzium l. c. p. 427 sq.

vero ut ad Solinianas de anguibus narratiunculas p. 39, 10—40, 2; p. 122, 12—123, 11; p. 127, 1—5; p. 132, 16—133, 2; p. 188, 16—189, 2[1]) redeam, tantum non certum est, ut iam monui, Solinum qui eandem materiam tractat eundem auctorem atque quo usum esse Isidorum omnibus numeris probabile est compilasse i. e. Suetonium. Quam sententiam ne facile impugnes sunt quae prohibeant. Nam primum quidem illae disputatiunculae Isidorianae Solinianaeque summa argumenti similitudine inter se adeo coniunctae sunt, ut partes amplioris expositionis continuae esse videantur, deinde in propatulo est Solinum in condendis collectaneis Suetonium ante oculos habuisse neque non favet opinationi meae in illis paragraphis componendis Suetonium a Solino adhibitum esse ratio fontes exscribendi polyhistoris, qui auctores suos non singulis modo locis sed per totum fere opus expilavit. Ad eundem Suetonium redire videntur etiam ea quae scholiasta Bernensis in Lucan. IX v. 701—733 exhibet quaeque partim cum Solinianis conspirare supra notavimus. Quod nescio an adiuvetur eo quod Suetonium scholiastae nequaquam ignotum fuisse verba eius ipsa docent p. 152, 17: *significat congluviales dies, ut ait Suetonius, in quibus . . .*

Praeter hos de serpentibus locos inveniuntur in collectaneis Solinianis expositiones de aliorum animantium

---

[1]) Ceterum notaverim eorum, quae de boa et de enormibus serpentibus Indicis leguntur apud Solinum p. 39, 15 sq.: *captat primo greges bubulos et quae plurimo lacte rigua bos est, eius se uberibus innectit*; p. 188, 16. 17: *enormitas in serpentibus tanta est, ut cervos et animantium alia ad parem molem tota hauriant,* similia inveniri apud Plinium VIII 37: *aluntur primo bubuli lactis suco*; VIII 36: *Megasthenes scribit in India serpentes in tantam magnitudinem adolescere ut solidos hauriant cervos taurosque.* Quas adnotationes utrum scholiasticus ex Suetonio, e quo eum reliquas de serpentibus narratiunculas hausisse mihi persuasi quemque Plinii naturalem historiam ante oculos habuisse cur negemus equidem non video, an ex Plinio ipso traxerit diiudicari nequit; quarum opinionum illa mihi verior videtur.

natura neque e Plinio neque e Mela haustae, quas argumenti materiaeque adfinitate eo ducimur ut statuamus omnes uni eidemque fonti deberi. Cuius generis praeter alios est locus

IV 3 (= p. 46, 13 — 47, 3) ubi agitur de solifuga quae est in Sardinia.

Quo loco luculenter patet Solinum ab alio ad alium fontem deflexisse. Namque postquam Sardum Hercule procreatum Sardiniae, Noracem Mercurii filium Norae oppido nomen dedisse atque mox Aristaeum regnando his proximum in urbe Caralis seiuges usque ad se gentes ad unum morem coniugasse exposuit, pergit his verbis usus: *Sed ut haec et Iolaum, qui ad id locorum agros ibi insedit, praeterea et Ilienses et Locrenes transeamus, Sardinia est quidem absque serpentibus. Sed quod aliis locis serpens, hoc solifuga Sardis agris . . .* Inscite igitur conectentem videmus Solinum variarum narrationum argumenta optimoque iure concludimus eum in IV 3 alium auctorem loquentem facere. Idem observare licet in omnibus fere locis, qui sequuntur quosque ex Suetonii Pratorum libro decimo de animalibus agente manasse contendere ausim:[1])

cap. X 12 (= p. 69, 4—6). 15 sq. (= p. 69, 15—70, 4) de gruibus
cap. X 19 (= p. 70, 11—14) de hirundinibus
cap. XI 15 (= p. 74, 4—5) de avibus Carystiis
cap. XI 20 (= p. 74, 21 — 75, 3) de coturnicibus
cap. XIX 10 et 11 (= p. 94, 7—10) de cervis Scythicis
cap. XX 3 (= p. 96, 6—9) de saltus Hercynii avibus
cap. XX 7—8 (= p. 97, 2—9) de alce in Gangavia insula vivente

---

[1]) Inter hos locos, quibus Mommsenus plerumque adscripsit notam *ignot.*, nonnulli sunt, quibus admixta sunt pauca, quorum similia invenis apud Plinium. De quibus dicendum erit idem, quod dixi p. 134 not. 1 de iis quae de boa et de enormibus serpentibus Indicis proponuntur apud Solinum p. 39, 15 sq.; p. 188, 16. 17.

cap. XXVII 55—60 (= p. 127, 10 — 128, 12) de simiis, de quibus nonnulla dicenda sunt. Nam horum ea, quae p. 127, 10—14 et p. 128, 8—9 proponuntur, Solinum ab auctore ignoto, reliqua a Plinio mutuatum esse Mommsenus sibi persuasit. Quam ad sententiam ne nos accedamus, sunt nonnulla quae dissuadeant. Graviter enim discrepat Solinus nonnullis rebus a Plinio partim diversa partim plura adferens, quae ex suo ipsius ingenio eum petivisse equidem negaverim. Sic cercopithecos caudas habere et hanc solam inter ceteras simias esse discretionem docet p. 128, 3—4; contra Plinius VIII 72: *cercopithecos nigris capitibus, pilo asini et dissimiles ceteris voce.* De cynocephalis dicit Plinius VIII 216 nihil nisi *efferatior cynocephalis natura* atque tacet de iis quae affirmat polyhistor p. 128, 5—6 *in Aethiopiae partibus frequentissimi, violenti ad saltum, feri morsu, numquam ita mansueti, ut non sint magis rabidi.* Solinus adseverat p. 128, 7—8 inter simias haberi et sphingas, quae habeant villosam comam, mammas prominulas ac profundas et dociles sint ad feritatis oblivionem, Plinius autem de his simiis nihil praebet nisi VIII 72: *sphingas, fusco pilo, mammis in pectore geminis, Aethiopia generat.* Idem VIII 215 narrat: *mira sollertia* (sc. *simiis*). *Visco inungui laqueisque calciari imitatione venantium tradunt,* Solinus p. 127, 15—18: *nam dum avide venantium gestus adfectant, relicta consulto visci unguilla, quod mendacio factum vident, oculos suos oblinunt: ita visu obducto pronum est eas corripi.* Simias catulos gestare refert Plinius VIII 216, Solinus autem dicit p. 128, 1—3: *immoderate fetus amant, adeo ut catulos facilius amittant, quos impendio diligunt et ante se gestant, quoniam neglecti pone matrem semper haerent.* In callitrichibus autem describendis concinunt Plin. VIII 216 eiusque pedissequus p. 128, 10—12[1],

---

[1])

Plin. VIII 216	Solin. p. 128, 10—12
callitriches toto paene aspectu differunt, barba est in facie, cauda late fusa pri-	callitriches toto paene aspectu a ceteris differunt: in facie barba est, lata cauda. has capere non est ar-

praeterquam quod hic callitriches capere non esse arduum sed proferre rarum prodit, id quod Plinius non habet. Qui concentus, quem inter tot discrepantias deprehendimus, utrum sic sit expediendus, ut hic Plinium inspexerit scholasticus eiusque verba transtulerit an ita, ut Suetonius, cui Solinum quae de simiis narrat debere puto, Pliniana exhibuerit diiudicari nequit.

cap. LII 44—45 (= p. 191, 8—192, 2) de psittaco. Verisimile esse mihi videtur, ut iam supra p. 17 commemoravi, totam de psittaco narrationem ex uno auctore (i. e. Suetonio, non ex eo et ex Plinio coniunctim) deprompsisse Solinum. Suetonium Apulei quoque fontem fuisse quominus statuamus quid obstet equidem non video.

cap. XLV 5—8 (= p. 174, 5—14) de equis Cappadociae
cap. XLV 12 (= p. 175, 15—17) de Agrigentinis equis.

Hi sunt loci, quos probabile est petitos esse ex Suetonianorum Pratorum libro decimo, quem uberrimam de animalibus expositionem continuisse certum est.

---

mori parte. hoc animal negatur vivere in alio quam Aethiopiae quo gignitur caelo.

duum, sed proferre rarum: neque enim vivunt in altero quam in Aethiopico, hoc est suo caelo.

Corrigendum.

Delenda sunt verba p. 2 not. 1 Duchesne, Bullet. critiq. 1892 p. 471.

Vita.

Natus sum Fridericus Rabenald in oppidulo Saxoborussico, quod vocatur Osterwieck situmque est sub radicibus Hercyniae silvae, die XVIII mensis Septembris a. 1885 patre Friderico, matre Sophia e gente Ebeling, quos adhuc inter vivos esse maximopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis ingenuarum litterarum rudimentis Seehusiae imbutus, quam in urbem Palaeomarchiae parentes me tertium annum agente sedem transtulerunt, gymnasium Seehusanum olim florentissimum, nunc quod valde doleo sublatum frequentavi ac deinde Hildesiae gymnasium quod vocant Andreanum. Maturitatis testimonio instructus verno tempore a. 1904 civis adscriptus sum universitati Halensi cum Vitebergensi consociatae, ubi per octo semestria studiis philologicis et historicis incubui docentibus me viris doctissimis:

Abert, Bechtel, Berger, Blass †, Bremer, Brueckner, Busse †, Brode, Conrad, Consbruch, Dittenberger †, Ebbinghaus †, Fries, Goldschmidt, Hasenclever, Haupt, Hertzberg †, Kern, Lindner, Maurenbrecher, Muff, Niese, Riehl, Robert, Schultze, Strauch, Uphues, Vaihinger, Wilcken, Wissowa, Wuest.

Proseminarii philologici exercitationibus postquam per duo semestria interfui, seminarii sodalis fui ordinarius per bis senos menses moderantibus Blass Kern Wissowa; historico seminario ut interessem, benigne concessit Niese. Praeterea ad archaeologicas exercitationes liberaliter me admisit Robert, ad paedagogicas Fries.

Quibus praeceptoribus cum omnibus tum Georgio Wissowa quo auctore et adiutore hanc dissertationem composui quique in componenda consilio et opera me adiuvit, gratias ago quam maximas gratumque animum semper servabo.